

PROOEMIUM

v.1 Carminis incentor mihi Juppiter : auspice terras
 2 linquo Jove, excelsam reserat dux Juppiter aethram,
 3 imus in astra Jovis monitu, Jovis omine caelum
 4 et Jovis imperio mortalibus aethera pando.
 5 Hic statio, hic sedes primi patris. Iste paterni
 6 principium motus, vis fulminis iste corusci,
 7 vita elementorum, mundi calor, aetheris ignis
 8 astrorumque vigor, perpes substantia lucis
 9 ei numerus celsi modulaminis. Hic tener aer
 10 materiaeque gravis concretio, sucus ab alto
 11 corporibus caelo, cunctarum alimonia rerum,
 12 flos et flamma animae : qui discurrente meatu
 13 molis primigenae penetralia dura resolvens
 14 implevit largo venas operatus amore,
 15 ordinis ut proprii foedus daret. Iste calorem
 16 quo digesta capax solidaret semina mundus
 17 inseruit. Rite hunc primum, medium atque secundum
 18 nox secreta canit : sibi nam permixtus utrimque
 19 et fultus sese geminum latus, unus et idem est
 20 auctor agendorum propriique patrator amoris
 21 et mundi vere sanctus pater. Hic chaos altum
 22 lumine perrupit, tenebrarum hic vincula primus
 23 solvit et ipse parens rerum fluitantia fixit ;
 24 hic dispersa locis statuit primordia justis,
 25 hic digestorum speciem dedit ; iste colorem
 26 imposuit rebus, sexuque immixtus utroque
 27 atque aevi pariter gemini simul omnia lustrans,
 28 sufficit alterno res semine. Rerum opifex hic
 29 hic altor rerum, rex mundi, celsa potestas
 30 aetheris atque Erebi, pigra inclinatio nodi,
 31 insociabilium discretio justa deorum,
 32 cujus et extremum tellus opus, ignea cujus
 33 lumina sunt late, sol et soror, ille diei
 34 tendat ut infusi rutilum jubar, altera noctis
 35 ut face flammanti tenebrosos rumpat amictus.
 36 Nec deficit genitis pater ullo in tempore rebus :
 37 istius ille anni pulcher chorus, alta ut hebescat
 38 terra gelu, ver ut blandis adrideat arvis,
 39 pulverulenta siti tellurem ut torreat aestas
 40 et gravis autumnus redeat fetura parentis.
 41 Hoc duce per tumidi ferimur freta gurgitis, isto
 42 praeceptore solum gravibus versamus aratris.
 43 Iste modum statuit signis, hic rebus honorem
 44 infudit ; tenebris hic interlabitur aethrae
 45 viscera et aeternos animat genitabilis artus.
 46 Denique ne longum marcentia corda jacerent
 47 mundanisque ortus mens immemor omnia sensim
 48 vilia conciperet neque se subduceret umquam

49 fontis in aeterni primordia, quo, velut amnis
 50 quem festina citis urget natura fluentis,
 51 lapsu continuo ruiturae in corpora nostra
 52 prorumpunt animae seriemque per aethera nectunt,
 53 hic primum Cnidii radium senis intulit astris
 54 mortalemque loqui docuit convexa deorum :
 55 cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes
 56 autumnii reditu, cur sub gelido Capricorno
 57 bruma pruinosi juga tristia solveret anni,
 58 cur spatium lucis, madidae cur tempora noctis
 59 Libra celerque Aries dimenso pondere Olympi
 60 aequarent, qua parte polus sublimior alto
 61 cardine caeruleas Thetidis non tangeret undas,
 62 quis polus umbrifero lateat declivis in axe
 63 et vaga palanti cur signa errore ferantur.
 64 Quae rursus ingenio numerisque Solensibus idem
 65 Juppiter efferri melius dedit, incola Tauri
 66 Musa ut Cecropios raperetur et Aonas agros.
 67 Me quoque nunc similis stimulat favor edere versu
 68 tempora cum duris versare lignonibus arva
 69 conveniat, cum velivolo dare carbasa ponto
 70 et cum viticomo crinem tondere Lyaeo.
 71 O mihi nota adyti jam numina Parnasei !
 72 O per multa operum mea semper cura, Camenae !
 73 Jam placet in superum visus sustollere caelum
 74 atque oculis reserare viam per sidera. Major,
 75 major agit mentem solito deus, ampla patescit
 76 Cirrha mihi et totis Helicon inspirat ab antris.

77 Omnia quae flammis pingunt radiantibus aethram
 78 Nox agit et verso ceu fixa trahuntur Olympo.
 79 At non cuncta tamen signorum in lege putanda :
 80 pars numeris et honore caret. Micat omnibus ignis
 81 et rutilo cunctis flagrat coma flammea crine,
 82 sed quia non certa formarum in luce notantur
 83 omnia, sideribus cassum fit cetera volgus.
 84 Mobilis en etiam mundi se machina versat,
 85 ponderis et proprii trahit inclinatio caelum.
 86 Sed non axis item curvi vertigine fertur
 87 aetheris, ut stilus instabili convolvitur orbi :
 88 juge manet, tenuisque procul sacra viscera caeli
 89 perforat et mediae molem terrae tenet. Illum
 90 non prolixa dies, non incumbentis Olympi
 91 cursus agit motatve loco labor, ut semel haerens
 92 constitit et ferri se circum cuncta remisit.
 93 Nec minus extremo dispar polus : Oceano pars
 94 sublimes erigitur, subit altera, mersa sub undas,
 95 pars Erebum et nigri jacet haec ut conscia Ditis.
 96 Hic Notus, horrifera Aquilonibus illa rigescunt,
 97 ac teres in gemina stridit vertigine cardo.
 98 Alter in obtutum facilis, latet alter et alto
 99 deprimitur barathro. Sed qua sublimior axis
 100 Tethyos undosae linquit cetosa fluenta,
 101 contemplare sacras ut mundus subrigat Arctos.
 102 Sic astrum dici Cnidius dedit Ausone easdem
 103 voce feras Ursasque et Plaustra vocare solemus :
 104 fabula namque ursas, species dat plaustra videri.

105 Has pater omnipotens, nemorosi in valle Lycaei
 106 adsuetas duris quondam venatibus, aethrae
 107 intulit et rapio genetricis flore sacravit.
 108 Vel, ceu fama dehinc docet altera, Creta ubi fluctu
 109 tunditur insanis late circumsona Cauris,
 110 Juppiter has idem, rerum memor indultarum
 111 et custoditae referens pia dona salutis,
 112 cum puer agrestis inter Curetas et inter
 113 Dictaeae longum latuit crepitacula rupis,
 114 scandere flammigerum victor permisit Olympum,
 115 nescia signa salis nocturnique inscia casus,
 116 hospita et insanis Aquilonibus. Haud tamen ollis
 117 ora vel adverso sunt obvia pectora motu,
 118 versa Lycaoniis sed suspectatur in Ursis
 119 forma super, pariterque polo vestigia librant,
 120 in spinam et flammis ardentia dorsa jacentes.
 121 Sic Jovis altrices teretem prope cardinis axem
 122 in caput inque umeros Helice Cynosuraque versae
 123 praescia venturis dant semper signa procellis.
 124 Namque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum
 125 parva regit. Non ulla facem succenderit unquam
 126 stella prior neque flammigeros eduxerit ortus
 127 ante alia, immerso cum jam Titanius orbe
 128 [LACUNE]
 129 imbuit et tremulo Tartesia terga rubore,
 130 Cresia quam flammis inter primordia noctis
 131 major agat vultusque sacros ostendat Olympo.
 132 Illa licet parvo jaceat temone per aethram,
 133 verior infidum tamen est currentibus aequor.
 134 Cardine nam toto cum vertitur, haud mora longos
 135 pigra tenet gyros, neque, ceu molita parumper,
 136 flectitur aut tardo cohibet cunctamina lapsu :
 137 denique Sidoniis duce te, Cynosura, carinis
 138 rectior undoso cursus sulcatur in aestu.
 139 Inter utramque dehinc praeclari nominis Arcton,
 140 ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu,
 141 squameus agmen agens Draco volvitur, atque obit ambas
 142 spirarum curvis anfractibus. Hunc quoque, ut artus
 143 longius effusum spatiosa volumina tendunt,
 144 compta Lycaoniis includunt Plaustra choreis.
 145 Qua caput est Helices, fundunt sese ultima monstri
 146 agmina, et hac caeli vix cauda in parte quiescit.
 147 Altera, qua spirae sinus est, sublime reponit
 148 verticis et, curvo ceu circumclusa Dracone,
 149 in dorsum alterius dorso jacet. Anguis ob ora
 150 vertitur ac, longe postremam lapsus in Arcton,
 151 rursum majoris repetit confinia signi.
 152 Nec quae stella caput flammis insignit honore
 153 sola micat, solave rubent incendia crista,
 154 sed saetosa duplex adolet duo tempora fulgor,
 155 et duo sub geminis oculi fulgoribus ardent.
 156 Unicus ignis item mento aestuat, ipsaque forma
 157 verticis, in nutum veluti curvata parumper,
 158 flectitur atque Helices caudam spectare videtur.
 159 Cujus in extremum spatio propiore per aethram
 160 sibila protenti succedunt ora Draconis.
 161 Quin super illa etiam, summae confinia caudae,
 162 qua per dimensos demittitur ordo meatus,

163 stella subit dextri quae temporis igne coruscans
 164 aemula vicinis accendit lumina flammis.
 165 At declive caput vertexque obliquior astri
 166 hac in parte sacri procumbere cernitur axis
 167 qua pater Oceanus, rutili reparator Eoi,
 168 occasus ortusque salo moderante coercet
 169 et gemina alternae miscet divortia metae.
 170 Inde pruinoso si lumen abusque Dracone
 171 in convexa feras, oculosque in proxima mundi
 172 declines, qua parte globo tumet altior orbis,
 173 illa laboranti similis succedet imago
 174 protinus, expertem quam quondam dixit Aratus
 175 nominis, et cujus latuit quoque causa laboris :
 176 Panyasi sed nota tamen, cui longior aetas
 177 eruit excussis arcana exordia rebus.
 178 Nam dura immodici memorat sub lege tyranni
 179 Amphitryoniaden, primaevo in flore juventae,
 180 qua cedunt medii longe secreta diei,
 181 Hesperidum venisse locos atque aurea mala,
 182 inscia quae lenti semper custodia somni
 183 servabat, carpsisse manu, postquam illa novercae
 184 insaturatae odiis serpens victoris ab ictu
 185 spirarumque sinus et fortia vincula laxans
 186 occubuit ; sic membra genu subnixa sinistro
 187 sustentasse ferunt, sic insedissee labore
 188 devicium fama est. At cum Tirynthius aethrae
 189 inditus et solio fultus sublime paterno est,
 190 Juppiter hanc speciem, miseratus acerba laborum,
 191 reddidit et talem cerni permisit Olympo.
 192 En manus ipsa dei, violenta in verbera pendens,
 193 erigitur, dextraeque dehinc impressio plantae
 194 tempora deculcat maculosi prona Draconis.
 195 Poplite succidui qua sideris ampla patescunt
 196 terga dehinc, versumque jacet sublime umerorum,
 197 aspice ceu rutilis vibrei lux Gnosia flammis.
 198 Haec quondam Bacchi monumentum fulget amoris,
 199 haec Ariadnaei capitis testatur honorem.
 200 Trina ter illustant hanc lumina, parsque Coronae
 201 Serpentem vicina subit, qua sibila in Arcton
 202 ora Draco inclinans stridii flabris Aquilonis ;
 203 post tergum Nixi pars volvitur, ac velut haerens
 204 rursum defessi reseratur nuntia signi.
 205 Istius extremo sub vertice, vertice quippe
 206 sideris innixi clarum nosces Ophiuchum.
 207 Triccaei sidus stat numinis, et cui pingui
 208 ture Epidaureae fumant altaria sedis.
 209 In Styga decursis Parcarum ab origine fuis
 210 meraserat Hippolytum sors ultima, jamque per imas
 211 Cocyti tenebras et stagna nigrantia Ditis
 212 portitor ille Charon Thesidae fata vehebat.
 213 Hic immaturi sed enim miseratus acerbum
 214 leti supplicium Neptunisque aspera jussa,
 215 argentis artus Erebo procul intimo abusque
 216 suscitatur, atque animae rursum tepefacta calore
 217 viscera mundanas revocat medicator in oras.
 218 Non tulit omnipotens ortu cuiquam generato
 219 Deucalioneo fas esse novissima fata
 220 vincere et incassum decurrere pensa sororum,

221 moxque trisulca polo jaculatus fulmina celso
 222 et super aerae vibrans incendia flammae,
 223 morte repertorem medicinae audacis in umbras
 224 deicit ; at nato reparans solacia Phoebos
 225 asperaque extincti miseratus fata nepotis,
 226 surgere nocturno jubet inter sidera motu.
 227 Hic ergo insignis ardens venas Ophiuchus,
 228 hic rigidos artus, formae Anguitenentis honore
 229 arduus, hic tantos umeris vibrantibus ignes
 230 evomit ut, pleno cum luna nitescit in orbe
 231 menstruaque ingenti jam tempora dividit ortu,
 232 nequaquam lentis obscurior ex umeris lux
 233 marceat. At manibus non compar flamma rubescit
 234 (nam suffusa levi resplendent ultima luce),
 235 sed cerni sunt prompta tamen, postremaque parco
 236 igne micant. Ille Angue manum consortus utramque
 237 erigitur, serpensque dehinc elabatur ambas
 238 flexilis et medium cingit spiris Ophiuchum ;
 239 quem super haerentem plantarum mole duarum
 240 Scorprios, in geminas effusus viscera partis
 241 efflictusque oculos maculosaque pectora pressus,
 242 sustinet. Attiguas evolvitur Anguis in auras
 243 agmine non aequo neque tenta volumina compar.
 244 Nam qua dextra manus sinuoso adfigitur Angui,
 245 parcius ab domino terga explicat ; altera porro
 246 plurimus ac multo per laevum pondere lapsus
 247 funditur et rutilo, qua lux sedet ignea, mento
 248 usque Ariadnaeae sese vicina Coronae
 249 lubricus inclinatur. Post spiram brachia quondam
 250 formidata truci suspexeris Orioni :
 251 haec concessa etenim curvis metatio Chelis,
 252 huc falcata Chii repserunt cornua monstri,
 253 siderea nimium facis indiga ; namque hebes ollis
 254 ignis et optunso marcent incendia crine.
 255 Callisto rutillet stellis quibus, utque ferinam
 256 prona sit effigiem, quo cardine torqueat axem
 257 semper innocidis attollens lampada flammis
 258 [LACUNE]
 259 Arctophylax sive, ut veteres cecinere, Bootes,
 260 famosa Arcadici testans commenta tyranni.
 261 At licet instanti similis similisque minanti
 262 terga Helices juxta premat arduus, haud tamen umquam
 263 in picturatae plastrum procurrere matris
 264 fas datur, antiqui quoniam contagio in illo
 265 criminis et veterum prohibetur culpa malorum.
 266 Nec minus in membris lux olli maxima vibrat
 267 omnibus, ardet apex capiti, micat ignea late
 268 dextera, flammam umeri, flammam movet uber, at infra
 269 inter utrumque femur, qua se confinia claris
 270 deducunt pedibus, major fax luminis auras
 271 verberat et rutilo sidus magis aestuat astro.
 272 Nam locus Arcturo sacer ille adscribitur, illinc,
 273 aurea qua summos adstringunt cingula amictus,
 274 ebria flammanti consurgit stella rubore.
 275 Qua protenduntur vestigia summa Bootis
 276 quaque per immensum circumflagrantibus astris
 277 circulus obliquo late jacet astriger orbe,
 278 contemplare sacros subjectae Virginis artus.

279 Quam te, quam memorem ? Sive est genitor tibi summus
 280 Juppiter et Themide in terras demissa parente es,
 281 seu patris Astraiei clarum es genus, aurea cujus
 282 sidera sunt proles et qui pro munere morum
 283 inculpabilium nomen dedit omnibus astris ;
 284 aut Pelusiaci magis es dea litoris Isis,
 285 digna poli, consors et cura latrantis Anubis,
 286 seu tu diva Ceres - sic nam tibi flagrat arista
 287 et ceu Siriaco torretur Spica calore
 288 protentata manu - seu quae perniciousis alis
 289 nec sat certa gradum viduataque vertice summo
 290 fluxa pilae vertis vestigia, lubrica ut aevum
 291 sors agat et subitis obrepat mobile fatum
 292 temporibus, precor, in terras procul aethere ab alto
 293 flecte oculos placidamque meis, venerabilis, oro,
 294 pande sacris aurem. Tu, cum sincera priorum
 295 vita hominum nullis ageret sub legibus aevum
 296 aureaque innocuos servarent saecula mores
 297 sponte sua, nec criminibus via prompta pateret,
 298 inter confusos populorum libera coetus
 299 versabare libens, nullique obnoxia culpae
 300 corda inhibens medias casto res more tenebas.
 301 Nullus telluri limes datus, indice nullo
 302 culta secabantur, neque jam discretio campum
 303 metiri in dominos monstraverat ; omnia rerum
 304 usurpantis erant, promiscaque jura per agros :
 305 praestiterat cunctis communia cuncta videri.
 306 Denique cum placidas crebro dea viseret urbes
 307 tectaque justa virum passim succederet, illa
 308 ferventis late pelagi natura salumque
 309 fluctibus instabile et glauci vada turgida ponti,
 310 qua senior cano nutrit sub gurgite Nereus
 311 delphinos virides et physeteras anhelos,
 312 ignorata suo seclusaque fine jacebant.
 313 Nulla fides undis, tumido commercia fluctu
 314 nulla petebantur, neque longis navita terris
 315 insinuare ratem suffecerat, exul ut oris
 316 omnibus externas veheret per inhospita gazas
 317 aequora et insano penderet saepe profundo.
 318 Omnia sed cunctis nasci dabat aurea terris
 319 Justitia et nullo discreverat aere regna.
 320 At postquam argento deformis viluit aetas,
 321 rarius in terras os inclinabat honestum
 322 jam dea ; vix summos adlabens denique montis,
 323 cum cedente die Phoebus sub nocte propinqua
 324 occiduus pronos urgeret in aequora currus,
 325 usurpandam oculis sese dabat adcurrentum,
 326 non ut fessa virum repararet gaudia vultu,
 327 sed crepula ut late vomeret convicia voce.
 328 "Parcite, vile genus ! "lacrimis aiebat obortis,
 329 "causa querelarum vestrum est scelus. Aurea quondam
 330 iudice me vestri vixerunt saecula parentes ;
 331 degener in vobis animus, sollertia vobis
 332 pervigil, arte nova vitam traducere mos est,
 333 omne malum studiis excuditis. Hinc quoque rursus
 334 (pro pudor atque dolor !) nascetur vilior aetas
 335 et lacerata genas ibit Bellona per urbes
 336 saucia ut infidas agitent certamina mentis."

337 Haec ubi per maestos rauco congesserat ore,
 338 alite procurso sese in convexa ferebat
 339 protinus, atque oculos fugiens exosa sequentum
 340 linquebat coetus hominum. Ruit haec quoque rursum
 341 vivendi series ac successere pudendo
 342 aerea saecla habitu. Fraus ilicet et furor ardens
 343 atque cruentus amor chalybis segnisque libido
 344 et malesuada lucri rabies subit, omnia terror
 345 degener ac maestae facies formidinis implet.
 346 Secreti immodicus vada gurgitis ultima versat
 347 Tiphys ; Agenoreo color hinc mentirier ostro
 348 incipit Assyriumque bibunt nova vellera fucum,
 349 ebria ut externo splendescat lana veneno.
 350 Sic justa in populos mox Virginis inculpatae
 351 exarsere odia et caelum pernicious intrat
 352 diva alis spatiumque sibi, subvecta per auras,
 353 unde procul terras summa vix cerneret aethra,
 354 propter anhela libens late capit astra Bootis.
 355 Istius extremis umerorum partibus urget
 356 stella facem, qualique rubent incendia flamma
 357 quae subjecta procul caudam majoris ad Ursae
 358 vertice brumalis circumvolvuntur Olympi,
 359 talis utrimque modo simul et fulgore micat lux.
 360 Plurima quippe procul clara fax ardet in Arcto,
 361 nec contemplandi labor anxius : omnia primis
 362 obvia ceu vibrant obtutibus. Unus ob ora,
 363 qua sunt prima ferae vestigia, praeminet ignis,
 364 altera, qua pedibus regio est clunalibus, ardet
 365 stella itidem, genibusque dehinc se tertia promit
 366 aemula, qua rutilae flagrant confinia caudae.
 367 Non tamen his species, non sunt cognomina certa,
 368 sed permixta simul vulgi vice convolvuntur.
 369 Illa quidem supero conserta relabitur axe,
 370 inscia piscosi semper salis ; ipsius autem
 371 subjectos capiti Geminos tibi cernere fas est,
 372 Spartanam, Geminos, subolem prolemque Tonantis
 373 egregiam et proprio post reddita numina caelo.
 374 Nam Lacedaemoniis, Mars cum caluisset Aphidnis,
 375 Castora Cecropii tulit inclementia belli.
 376 At frater, lucemque et fata superstitis aevi
 377 exosus, sortem lacrimis efflagitat aequam.
 378 Protinus alternae germanos tempore vitae
 379 Juppiter attollit, caelique in celsa receptans
 380 aeternae flagrare facis jubet ignibus ambo.
 381 Alvo Helices Cancer subvolvitur, astraque Cancro
 382 Juno, novercales vi semper proderet iras,
 383 praestitit. Hic etenim, Lernaevi gurgitis hydram
 384 ureret Alcides cum flammiger, ausus in ipsum
 385 repere victorem. Qua duro concava dorso
 386 tegmina curvantur, geminus micat ardor in auras.
 387 Hos dixere Asinos, ortos Thesprotide terra
 388 et sidus, Lenaee, tuum ; disternat aer
 389 crassior hos itidem qualis praesepebus esse
 390 forma solet. Dispar chelarum flamma coruscat :
 391 namque tribus stellis adoletur dextera Cancro,
 392 laeva duas pigro succendit fomite flammis.
 393 Qua postrema pedum rutilant vestigia in Arcto,
 394 maxima flammigeri mundus trahit ora Leonis.

395 Membra dehinc, longi quae semet tramite caeli
 396 plurima protendunt, torrentur fomite acuto
 397 singula et adsiduis ardet Leo viscera flammis.
 398 Hic Hyperionii flagrat via Solis, et isto
 399 se duce caerulei referunt momenta caloris.
 400 Tum succisa Ceres stabilito mergite culmi
 401 construitur, flavos tondentur semina crines
 402 omnia, et advectas late coquit area messes.
 403 Tunc et Threicii repetunt animosa Aquilones
 404 flabra polo, tunc coeanum stata flamina caeli
 405 propellunt pelagus : longis hoc tempore in anni
 406 otia sunt remis, pontus vehit ipse carinas.
 407 Aurigatorem par sit quoque cura videre :
 408 namque tuas aures implevit fabula sollers
 409 Cretaei pecoris, sic lac memoratur alumno
 410 infudisse Jovi ; Capra, nutrix dicta Tonantis,
 411 stelligero subvecta polo est. Ille impiger autem
 412 pulcher Erichthonius currus et quattuor olim
 413 junxit equos, pronus qui non procul in Geminorum
 414 laeva jacet fusoque super se corpore tendit
 415 plurimus, atque Helices caput inclinatur ab ore.
 416 Ille quidem in spatium membra explicat, ut Capra laevo
 417 fixa umero clare sustollitur, ipsius autem
 418 fine manus parvas Haedorum suspice flammis.
 419 Qui postquam Oceano sese expediere sonoro,
 420 saeva procellosis immittunt flabra fluentis,
 421 ut spumosa truci pulsantur litora fluctu
 422 et vaga caeruleas involvant aequora puppes.
 423 Nec minus Aurigae qua sunt vestigia curvi,
 424 cornigeri late tenduntur pectora Tauri.
 425 Illic saetosam pecoris perquirere frontem
 426 esto memor, flexo jacet illic crure, minaces
 427 in terram figens oculos. Non cetera signa
 428 flammaram similem procul inter sidera formam
 429 ostentare valent, gemino sic cornua ductu
 430 erigit aetherii rigor ignis, et ignis utrimque
 431 gic camuris ardet protractibus. Haud tibi signis
 432 perquirenda aliis pecoris frons aequore surget
 433 Oceani : proprio Taurum deprenderis ore,
 434 cornua sic vera sub imagine curva dehiscunt,
 435 sic mediam creber pecori frontem asperat ignis,
 436 sic Hyades Tauri toto procul ore coruscant.
 437 At Borean laevo qua Taurus acumine pulsat,
 438 desuper Aurigae dexter pes imminet astro :
 439 una pedem Aurigae dextrum cornumque sinistrum
 440 stella tenet pecoris. Simul in convexa feruntur,
 441 sed prior occidui Taurus subit aequoris undas.
 442 Nec mea Musa senem tacitum Cephea relinquet :
 443 Iasiden quoque summa poli Cephea revolvunt,
 444 non eget hujus enim sedes sacra nominis. Illum,
 445 illum quin etiam rutilae pater intulit aethrae
 446 donavitque polo. Tergo Cynosuridos Ursae
 447 post habitat, geminasque manus a pectore tendit.
 448 At diducta pedes tantum mensura seniles
 449 dividit, extrema quantum pede distat ab Ursa.
 450 Rursum declivi si visum tramite vergas
 451 prima tibi ut flexi linquatur spira Draconis,
 452 infortunatam spectabis Cassiepiam.

453 Sed nec multa tamen, cum caelum lumine toto
 454 Luna replet taetram ut superet fax aurea noctem,
 455 occurret genetrix oculis quaerentibus : absunt
 456 lucida maerenti, tenuis rubet ignis, et aegrae
 457 lux hebes est matri. Vix, qualem Caria quondam
 458 noverat intrantem per claustra tenacia clavem,
 459 formatur stellis distantibus, inque umeros vix
 460 tenditur angustus : natae fera fata retundunt.
 461 Namque subest teretisque poli simul orbe rotatur
 462 Andromeda, ingenti quae semper luce coruscans
 463 sponte oculos in membra rapit. Face denique vertex
 464 ardet anhelanti, geminamque per aera fundunt
 465 lucem umeri et summis lux aestuat ignea plantis.
 466 Ignea quin etiam per caelum cingula flagrant
 467 Andromedae et toto vibrant in corpore flammae.
 468 Sed tamen hic etiam vivax est poena dolenti :
 469 nam diducta ulnas magna distendit in aethra
 470 vinculaque in caelo retinent quoque, tenuia quippe
 471 bracchia contortis adstringunt nubila nodis.
 472 Rursus odorato qua vertex crine tumescit,
 473 Andromedae capiti suppingitur indiga pleni
 474 alvus Equi. Summo quae fax in vertice vibrat
 475 virginis inque auras coni vice surgit acuti,
 476 ipsa sub absciso late micat aurea ventre
 477 cornipedis : simul hos lux indiscreta retentat,
 478 communique rubent duo semper sidera flamma.
 479 Tris latus atque armos aliae pecori pinxere,
 480 et spatio disjuncta pari fax aemula flagrat :
 481 plurimus ignis inest, vasto globus aestuat orbe.
 482 Sed non et capiti similis rubor, ipsaque cervix
 483 - quamvis procero surgat juba maxima collo -
 484 languida marcenti vix est spectabilis igne.
 485 Ultima quae mento sese explicat, haud minor illa
 486 quattuor est primis quae formam lumine claro
 487 cornipedis simulant. Non hic Equus integer artus,
 488 non quadrupes caelo sustollitur, at tenuis alvo
 489 erigitur media : nam cetera pone negantur,
 490 et quatit aetherias primis modo cruribus auras.
 491 Hunc, hunc Aonio quondam memorant Helicone
 492 inclita post Lyciae redeuntem bella Chimaerae,
 493 mystica qua rupes doctis obmurmurat antris,
 494 herbarum carpsisse comas et gramine odoro
 495 explevisse famem ; sed cum sitis arida fauces
 496 ureret ac nullo manaret gurgis hiatu,
 497 illisise pedem : cornuque excita repente
 498 lympham Camenalem fudit procul Hippocrenen
 499 (Aones hoc latici posuerunt nomen equino
 500 pastores). Strepit haec placido inter saxa susurro,
 501 atque Helicone cadens sese sitientibus herbis
 502 inserit, Ascraeas donec sese gurgite valles
 503 uvificet ; rigat hac animas et Thespia pubes
 504 semper et in latices inhiat gens fontis alumni.
 505 Ast Equus alterno redit inter sidera motu,
 506 Oceanique salo caput exserit. Haud tibi magni
 507 cura laboris erit caelo spectare sereno
 508 cornipedem : micat ille procul flagrantibus astris,
 509 et perfusa recens educit pectora ponto.
 510 Tum celer ille Aries, longi qui limitis orbe

511 aethera percurrens numquam Cynosuridos Ursae
 512 segnior ablapsu convertitur, haud procul astro
 513 visus Equi, magno celsum secat aera motu.
 514 Parcior hic rutilae semper facis, indigus ignis
 515 spectatur justis : nam quanti luminis astra
 516 esse solent aciem quibus aurea luna retundit,
 517 marcida Lanigeri tantum se forma sub auras
 518 exserit, in tenui quamquam primordia Phoeben
 519 orbe habeant nulloque decus dea proferat ore.
 520 Sed licet hunc oculis frustra sectere per aethram
 521 (nam semper propriis caret ignibus), en tibi propter
 522 Andromedae claro rutilantia cingula in astro
 523 suspectanda patent : vocat ingens balteus ultro
 524 quaerentem. Non longa Aries statione locatus
 525 in convexa redit, parvo se tramite subter
 526 distinet et medio caelum citus ordine currit,
 527 ultima Chelarum qua bracchia, quaque corusco
 528 circulus axe means rutilum secat Oriona.
 529 Est etiam Graio quod semper nomine nostri
 530 Deltoton memorant. Simile in latus istud utrumque
 531 porrigitur, summum signo caput angulus artat
 532 et gemini suprema jugi vicinia mordet.
 533 Tertia quae stantes sustentat linea ductus
 534 parcior haud simili sese sub limite tendit ;
 535 at contracta modum geminas face flammigerarum
 536 stellarum superat. Quin et, quae subter in astro
 537 lanati marcent pecoris pluvioque tepescunt
 538 jam vicina Noto, minor istaec linea luce
 539 et fulgore facis praevertitur ; at locus olli
 540 post tergum Andromedae (sic se tulit ordo) dicatus.
 541 Hinc si vicino flectaris lumina visu
 542 inque Notum sensim Boreali ab cardine doctus
 543 inclinere oculos, proles tibi tertia Piscis
 544 surget Bambycii : sedes data quippe duobus
 545 Piscibus, ingenti qua celsam circulus aethram
 546 orbe secat, tendit qua pinnae extrema sinistrae
 547 ales Equus, mundo qua pectora Laniger alto
 548 urget et averso surgentem corpore Taurum
 549 respicit. Hinc medio signantur sidere Pisces,
 550 quorum alius rigida consurgit in aera forma
 551 celsior et Borean propior subit, alter aquarum
 552 Troicus aurata quas fundit ephebus ab urna
 553 pone avidus jacet in Notialia nubila pronus.
 554 Sed tamen hi late stellis ex ordine fuis
 555 nectuntur caudas et lenta trahuntur utraque
 556 vincula per caelum, coeunt quae cingula rursum
 557 et rutilo confixa quasi super igne tenentur,
 558 Caelestem memorat quem sollers Graecia Nodum.
 559 Ex umero Andromedae laevo quoque noscere Piscem
 560 qui rigidum celsi suspectat cardinis axem
 561 perfacile est : ulnae nam proximus iste sinistrae
 562 caerulus erigitur. Quin et vestigia propter
 563 Persea sub volucris par est tibi quaerere forma :
 564 in caput inque umeros rotat aegram machina mundi
 565 Andromedam. Thraci nam sub flabris Aquilonis
 566 nititur alato vindex pede, maxima cujus
 567 dextera maerentis solium prope Cassiepieae
 568 tenditur, ingenique dehinc vestigia passu

569 pulverulenta quasi cano procul aere pandit.
570 Pleiadas femoris pariter sub fine sinistri
571 Perseus protollit. Locus has habet artior omnis
572 conexas, omnis lentae facis haud procul istas
573 ostentat rutili lux sideris : aegra sororum
574 lumina, nec claro flagrat rubor aureus astro.
575 His genitor, vero si fluxit fabula fonte,
576 Poenus Atlas, subiit celsae qui pondera molis
577 caelifer atque umero magnum super aethera torquet.
578 Fama vetus septem has memorat genitore creatas
579 longaevo (sex se rutila inter sidera tantum
580 sustollunt), septem fert fabula prisca sororum
581 nomina (sex sese tenui sub lumine reddunt) :
582 Electra Alcyoneque Celaeno Taygeteque
583 et Sterope Meropeque simul famosaque Maia
584 prole dei. Gerni sex solas carmine Sminthes
585 adserit, Electram caelo abscessisse profundo
586 ob formidatum memorat prius Oriona.
587 Pars ait Idaeae deflentem incendia Trojae
588 et numerosa suae lugentem funera gentis
589 Electram taetris maestum dare nubibus orbem,
590 saepius obscuris caput ut sit cincta tenebris.
591 Non numquam Oceani tamen istam surgere ab undis
592 in convexa poli, sed sede carere sororum
593 atque os discretim procul edere, distet ut a vi
594 germanoque choro subolis lacerata ruinis,
595 diffusamque comas cerni crinisque soluti
596 monstrari effigiem. Diros hos fama cometas
597 commemorat tristi procul ista surgere forma,
598 vultum ardere diu, perfundere crinibus aethram,
599 sanguine suppingi rutiloque rubere cruore.
600 Quin Meropen, adiit postquam Sisypheia vincla
601 et thalamos saevo sortita est omine divum,
602 indignam aera credunt mage sede fuisse.
603 Sic anceps numeri fit fabula, sexque per aethram
604 Vergilias cerni tenet usus, sed simul omnis
605 artavere globum. Ter in auras angulus exit
606 flammiger, et mixtis Atlantides ignibus ardent.
607 Nec tamen est famae similis vigor : ampla sorores
608 fabula nobilitat, modus ollis parcus, et ignis
609 vix tenui longe face fit spectabilis. Istas,
610 alterno redeunt cum bina crepuscula mundo,
611 seu nox astrales adolet cum caerula flammas,
612 seu matutinus cum sidera dissicit ortus,
613 convolvi caelo summae pater adnuit aethrae.
614 Nec minus, arenti cum crine attollitur aestas
615 et cum cana comas redit anno bruma rigenti,
616 tempora dissignant. Nam si se gurgite tollunt
617 Vergiliae, curvas in flava novalia falces
618 exercere dies ; si condunt aequore flammas,
619 tellurem presso proscindere tempus aratro.
620 Est Chelys illa dehinc, tenero quam lusit in aevo
621 Mercurius curva religans testudine chordas
622 ut Parnaseo munus memorabile Phoebos
623 formaret nervis opifex deus. Hanc ubi rursum
624 contentus superi complevit pulcher Apollo,
625 Orpheia Pangaeo docuit gestare sub antro.
626 Hic jam fila novem docta in modulamina movit

627 Musarum ad speciem Musa satus (ille repertor
 628 carmina Pleiadum numero deduxerat). At cum
 629 impia Bassaridum carpsisset dextera vatem
 630 et devota virum tegerent Libethra peremptum,
 631 intulit hanc caelo miseratus Juppiter artem
 632 praestantis juvenis, pecudes qui et flumina vates
 633 flexerat. Adnixi qua semet sidera porro
 634 sustollunt, laevum propter Chelys haec femur adstat.
 635 Advolat ast aliud latus Ales et ora canoros
 636 tenditur ad nervos : media est Lyra sede dicata,
 637 Cygneo capiti et curvo contermina signo.
 638 Namque et sidereis Cycnus secat aethera pinnis,
 639 donatus caelo, non claro lucidus astro,
 640 sed tamen os flagrans et guttura longa coruscans ;
 641 grandibus haud equidem stellis, non hic tamen atris
 642 obscurisve micat. Trahit in convexa volatum
 643 perfacilem, et dextro late Cepheida dextram
 644 radens remigio, summa ad vestigia laevo
 645 declinatur Equi. Sic magno praepes Olympo
 646 subvehitur, subit occidui sic marmoris undas.
 647 Nam post cornipedem flagrant duo sidera Pisces,
 648 Pisces Bambycii, caput autem subter equinum
 649 Laomedontiadae se dextera tendit ephebi ;
 650 ipse dehinc longos insignis Aquarius artus
 651 adstat ad hirsuti caudam pulcher Capricorni.
 652 Imus ut australi descendit circulus axe
 653 signifer, inque Notum rutili cadit orbita Solis,
 654 hispida saetosi marcet species Capricorni.
 655 Hic jam Threicio veniens a cardine Phoebus
 656 vertit iter, pulsusque deum (mirabile dictu !)
 657 brumalis redigit. Non tum mihi longa phaselis
 658 aequora temptentur, non tum freta turbida pinu
 659 quis petat ! Angusto decurrit tramite namque
 660 parva dies, vastoque dehinc deprensus in alto
 661 nequicquam pigrae clamabit sidera lucis.
 662 Interea totis Notus acer saeviet undis,
 663 excitumque salum verret Notus. Aurea Solis
 664 cum rota cornigeri sidus pepulit Capricorni,
 665 tum dirum caelo frigus redit, aspera nautis
 666 functio fluctivagis. Tamen isti saepe malorum
 667 immemores agitant totos in fluctibus annos ;
 668 mergorum et phocis similes trahit unda paventis
 669 ac retrahit, quaerunt oculis distantia longe
 670 litora, et in pontum cogunt lucra semper hiantis.
 671 Par metus ex pelago tibi sit quoque, Sole sagitta
 672 cum levis adflatur, cum lux in arundine flagrat
 673 ignis mundani, cum tela extrema coquuntur,
 674 cumque Sagittiferi torret vapor aureus arcus.
 675 Tum quoque si piceam spectaris surgere noctem,
 676 informem taetris tellurem ut vestiat alis,
 677 litus ama, sollers fuge caerula tegmina noctis,
 678 exitiumque sali rabidique pericula ponti
 679 anteveni : jam solve memor vaga carbasa malo,
 680 jam prolixarum jaceat rigor antemnarum.
 681 Mensis at infausti vel duri sideris index
 682 Scorpius exoriens sit tempore noctis adultae :
 683 hic matutino veniens procul aequore telum
 684 exigit e pelago, telum trahit ultima cauda ;

685 cunctatur pigro post tergum sidere juxta
686 Arquitenens, tardos et gurgite liberat artus.
687 Tum Cynosura etiam maturae in tempore noctis
688 altius in Borean sustollitur, abditur autem
689 Orion redeunte die, tum brachia Cepheus
690 protentasque manus mediamque immergitur alvum.
691 Quin norunt aliam superum convexa Sagittam ;
692 sed tamen haec arcu tereti caret : inscia nervi,
693 inscia nam domini est. Telum super advolat Ales,
694 Ales Olor ; sed Threicio conterminus axi
695 cana pruinosas extendit colla sub Arctos.
696 Armiger hanc etiam Jovis advolat, arbiter ignis
697 aetherii, sed membra minor. Procul hic tamen alto
698 cum redit ac pelago movet in convexa volatum
699 fine tenebrarum summaeque in margine noctis,
700 spumosum late mare subruit : omnia caeli,
701 omnia terrarum mox flabra procacia verrunt.
702 Tum curvus caudam subit inter sidera Delphis,
703 dux, Neptune, tui quondam super aequor amoris.
704 Hic nam detrusae latebras procul Amphitrites,
705 arduus occiduos umeris ubi sustinet axes
706 Pleiadum genitor, perruperat. Hic vagus omni
707 gurgite dilectam domino maris ultimo ab orbe
708 mollis dorsa tulit. Breve signo corpus in astris
709 et super auritum ponto surgit Capricornum.
710 Hic medios artus taeter stupet, altera porro
711 quattuor illustrat facibus rubor aureus, atque
712 bis gemino discreta situ micat ignipotens lux.
713 Omnia quae soli et rigido interfusa Aquiloni
714 aetheris incurvi moles rotat, inque frequentes
715 occasus ortusque trahit moderator Olympus,
716 sunt digesta mihi. Quae rursus limite ab usque
717 sese Hyperionio pluvialis concava in Austri
718 demittunt, taetram donec Notus ambiat aethram,
719 dicere Romuleo conitor carmine sollers.
720 Subtrahit obliquo qua sese circulus orbe
721 signifer in Borean, australes deserat umbras
722 ut medii jam mole poli, fera pectora Tauri
723 suspicit Orion ; neque quisquam nocte serena
724 transierit : celso late se cardine pandit,
725 auratumque rubens demittit balteus ensem.
726 Talis et ipse virum gemina ad vestigia custos
727 insequitur, sic flammigero distinguitur astro
728 aetheriae Canis ille plagae, cui plurimus ardor
729 aestuat in mento, multus rubor imbuit ora.
730 Stridit anhelanti face pestifer, aera motu
731 torret, et immodici terras coquit ignibus astri.
732 Hic varios ardet stellis rutilantibus artus,
733 sed non est similis cunctis vigor, undique quippe
734 alvus coeanea est, mento gravis effluit ardor,
735 qui formidato sub nomine Sirius aethram
736 urit. Huic rutilos si Sol adflexerit axes,
737 quantus corporibus, quantus labor imminet agris !
738 Marcebunt sata cuncta diu ; namque indiga suci
739 siqua jacent, cedunt valido penetrata calori,
740 ac decoctorum languebunt germina florum.
741 Illa autem interno quae sunt animata vigore
742 Sirius attollit, blandusque illabatur herbas

743 spriritus et dulci nutrit tepefacta sereno.
744 Hunc, hunc, flammanti cum primum vibrat ab ortu,
745 auribus atque animo capimus procul. Altera siquae
746 stellarum fulvo rutilant, quae plurima longi
747 belua fert lateris, neque multa luce coruscant
748 et designandis tantum sunt addita membris.
749 Parvulus in stellis Lepus est quoque ; namque ubi magnus
750 emicat Orion, gemina ad vestigia subter
751 urgetur cursu rutili Canis. Ille per aethram
752 effugit instantem, premit autem Sirius ore.
753 Auritum primis emittit gurgis ab undis,
754 ille minax pavidum super editur, et procul idem,
755 cum Lepus occiduum sese inclinavit in aequor
756 more latebrarum repetens freta, Sirius alto
757 defluit ab caelo, mersumque per umida quaerit.
758 Magnus Iasoniam cauda Canis extrahit Argo
759 puppe refulgentem ; neque enim se Thessala cumba
760 sollemnem in faciem rostro movet : extima puppis
761 surgunt Oceano. Velut alto a gurgite nautae
762 cum portum tenuere, avidi volitantia raptim
763 sipara convertunt, tergumque in curva remulco
764 litora certatim subdunt - simul illa, marinas
765 jam defuncta vias, procul imi litoris algas
766 pone subit terramque tenens secura quiescit - ,
767 sic Argo rutilam tantum inter sidera puppim
768 ducitur ; occultat rigido tenus altera malo.
769 Sponte gubernaculum puppis demittit in undas
770 celsior ac merso descendit in aequora clavo.
771 Distantem Andromedam prolixi tramite mundi
772 perterret Cetos : nam Threicii prope flabra
773 Andromedam Boreae celso rotat aethere cardo,
774 belua dira Noto vehitur, trahit Auster in atro
775 ora inimica salo. Nam qua se laniger alto
776 caelo Aries tollit, qua Piscibus astra duobus
777 augentur, rutilat subter Nereia Pistrix,
778 efflua praecurrens non multum Fluminis astra.
779 Illa memor longae formidinis, illa dolorum
780 inter signa tenax horret squalentia monstri
781 terga procul, pavidumque super caput inserit undis.
782 Quin et caeruleo Flumen quoque gurgite manans
783 astra inter sedesque deum pars aequoris esse
784 credidit Ausonii. Namque hunc dixere priores
785 Eridanum, Venetos late qui lapsus in agros
786 Alpino Hadriacos impellit gurgite fluctus.
787 Hic fusum caelo quondam Phaethonta sub undas
788 exceptit senior, leve cum sensere jugales
789 aetherii rectoris onus, cumque ignifer axis
790 tramite sub mundi mortales sprevit habenas.
791 Didita tum late texere incendia terras,
792 astra vorax ignis, flammae sola cuncta coquebant,
793 donec fata sui miseratus Juppiter orbis
794 redderet aetherii Phoebos moderamina cursus.
795 Illum prolixis durae Phaethontides ulnis
796 planxerunt, rediit supero pax aurea mundo,
797 Eridanumque senem nutu Jovis omniparentis
798 astra receperunt. Pharium pars altera Nilum
799 commemorat, largo segetes quod nutriat amni
800 arentisque locos unda fecundet alumna,

801 vel quod de medii prolapsus parte diei
802 vastus in aequoreas pelagi sese inferat undas.
803 Iste pedem laevum rutili subit Orionis,
804 fusaque quae geminos adstringunt vincula Pisces
805 Eridani coeunt anfractibus. Ut procul ille
806 tenditur effusi vi gurgitis, huc quoque cristae
807 cedit apex, summa qua lux Pistrice coruscat
808 desuper et flamma caudarum cingula figit.
809 Inter demissum procul in vada caerula clavum
810 Puppis Iasoniae depictaque terga carinae
811 et Pistrim undicolam, Leporis qua tenditur alvus,
812 stellarum creber rutilat rubor. Haud tamen istis
813 vel lux multa micat vel fit memorabile nomen.
814 Nulli etenim formae flammarum Juppiter ignes
815 discrevit, nullos simulant haec corporis artus,
816 qualia digesto mundus sacer ordine volvit,
817 semper in antiquum retrahens iter omnia secum
818 saeculorum serie. Longa istas denique signant
819 intervalla faces, similis quoque lux habet omnis,
820 par modus ; occasu pariter referuntur et ortu,
821 nec spectanda forent ponto quod sola carerent.
822 Cetera descriptis aptantur singula membris
823 formarum ; flagrans Leporem qua Sirius urget,
824 languida nec certo sub nomine cuncta feruntur.
825 Ultra saetosi rursus speciem Capricorni,
826 cardinis immersi qua sunt australia flabra,
827 in Pistrim horrificam conversus viscera Piscis
828 subvehitur : Notium vocat istum Graecia Piscem.
829 Stellae aliae mundo, qua pulcher Aquarius instat
830 et qua cristato consurgit belua dorso
831 usque sub aerii rutilantia sidera Piscis,
832 sunt mediae, flammae steriles ac lucis egenae :
833 nam passim ignoti vice vulgi semet in aethram
834 protollunt. Dextram sed tantum propter ephebi
835 pocula quem divum mensis gestare loquuntur,
836 efflua se species liquidarum fundit aquarum
837 partis in geminas. Lux illic clara duabus
838 est solum facibus ; non haec spatiosa per aethram
839 intervalla tenent neque lumina devia fonte
840 collidunt : alii Phrygium nam subter ephebum
841 ardet apex, alii, qua curvam belua caudam
842 terminat, insignis late vomitur globus ignis.
843 Cunctis nomen Aqua est. Quin stellae denique propter
844 crura Sagittigeri, qua se vestigia prima
845 cornipedis simulant, circumvolvuntur Olympo,
846 quis face sub tenui tenebrosus marceat ignis.
847 Ecce venenatae qua Scorpius agmine caudae
848 plurimus erigitur tepidumque super micat Austrum,
849 parvulus hic Aram locus exprimit, hanc satis arto
850 tempore suspicies mundo rutilante referri.
851 Nam polus adverso qui tollitur axe Bootis,
852 quantum suspenso vada linquit turbida caelo,
853 Oceano tantum sibimet contraria condit :
854 Arcturum vertex levat arduus, umbrifer Austri
855 Aram cardo premit. Brevis olli semita caeli
856 occasusque celer ; tamen isto luciparens Nox,
857 fata hominum miserata prius, miserata labores,
858 certa procellarum statuit procedere signa.

859 Ne tibi, cum denso conducitur aere caelum,
860 inter nimbiferas nubes spectabilis exstet
861 Ara poli, longa ut glomerent circumque supraque
862 feta pruinarum se vellera, qualia tristi
863 coguntur vento terraque excita per aethram
864 nubila conceptos effundunt desuper imbres !
865 Non Arae, non sit tali sub tempore vertex
866 clarior ! Hoc nam saepe Notum praenosceret signo
867 Nox docuit. Noctis si quis praecepta sequatur,
868 incassum Zephyri volvunt mare ; si quis at ista
869 respuat, incautas percillant flabra carinas.
870 Vix, si sera Jovem subeat miseratio rerum,
871 pigra salus nautis redeat fluitantibus alto.
872 Certior ast ollis veniet spes, axe supremo
873 si Boreae stringat rutili coma fulgoris auras.
874 His signis Austri raptabunt flabra fluentum,
875 donec de Boreae rutilum jubar emicet axe.
876 At si Centaurum medio sub tramite caeli
877 videris, ut fluctu tantum discedat Eoo
878 quantum adit occasum, sit tectus desuper autem
879 nube umerum et caelo sint omnia signa priora,
880 Eurus erit, verret salsi vada gurgitis Eurus.
881 Contemplator enim geminae rutilantia formae
882 viscera, quae signis subtexit membra duobus.
883 Nam qua parte hominem quadrupes sustollit equino
884 ventre superstantem, versatur Scorpius ingens ;
885 at qua cornipedem media vir fundit ab alvo,
886 curva venenati sunt tantum brachia signi.
887 Ille autem, dextram protendere visus ad Aram
888 caelicolum, justae persolvit munera vitae
889 agrestemque manu praedam gerit. Hic, ubi celso
890 Pelius adsurgit dorso nemorosaque late
891 inserit aeriis juga nubibus, arbiter aequi
892 egerat, Alcidae legum post bella magister.
893 Desuper ingenti sese agmine porrigit Hydra,
894 quae prolata salo longe latus explicat aethra
895 in Cancrum protenta caput, caudamque feroci
896 Centauro inclinat, transit spatiosa Leonis
897 viscera et ingenti sub Virgine summa quiescit.
898 Quin vitam spirare putes, sic agmina caelo
899 lubrica convolvit, sic spiras pendula torquet,
900 sic et flammigero linguam jacet ore trisulcam.
901 Spirarum medio gestat Cratera coruscum,
902 ultima caeruleum sustentant agmina Corvum,
903 ales ut intento fodiat vaga viscera rostro.
904 Ultimus est Procyon, Geminorum subditus astro,
905 ore micans rutilo, trina face viscera lucens.
906 Ista volutatos cernuntur cuncta per annos :
907 haec vehit Oceanus pater omnia, mersaque rursus
908 hauriet Oceanus. Trahit ingens machina caeli
909 cuncta super, pingunt rutilam sua sidera noctem.
910 Quinque itidem stellae, similis quibus haud sit imago
911 nec quas formarum doctus notet adfixarum,
912 per bis sena poli volitant rutilantia signa.
913 Nullus eas alio deprendere sidere certet :
914 nam vaga per totam cunctis via defluit aethram
915 semper et adverso referuntur tramite mundi.
916 Mundus ab Eoo trahitur reparabilis alto,

917 pronus Atlantei procul in vada caerulea ponti ;
 918 illae in subrecti cogunt iter aetheris orbem
 919 nitentes in summa poli, motuque feruntur
 920 adverso Solis radiis. Ceu, cum vada cumbam
 921 prona vehunt, siquis prora nitatur ab alta
 922 in puppim proferre pedem, via carpitur olli
 923 cursibus inceptis contraria, vis ita in istis
 924 obvia labenti semper sustollitur aetbrae.
 925 Unica quin solis adolent incendia flammis ;
 926 longa volutandis tamen ollis tempora currunt
 927 pigraque se referunt sedes sortita priores
 928 omnia. Non illas animis audacibus ergo,
 929 carmine non caeco temptabimus : hoc satis unum
 930 Musa mihi, satis hoc longi labor egerit aevi
 931 si defixarum cursus et signa retexam.
 932 Quattuor aërios zonae cinxere meatus,
 933 quattuor has cursus et tempora nosse volentem
 934 scire sat est. Quin signa etiam sunt quattuor istis
 935 plurima quae zonis haerentia convolvuntur.
 936 Ipsae inconcussa retinentur sede per annos,
 937 mutuaque implexae sibimet consortia mordent ;
 938 at modus in binis protenditur. Aurea pepli
 939 sidera nocturni si suspectare libebit
 940 nec scindunt medium Phoebeia luminamensem
 941 langueat ut stellis species hebes, omnia caeli
 942 illustrante dea ac flammis superante minores,
 943 orbe sed haud pleno sinit igni fervere acuto
 944 sidera, candentis speciem super inspice Lactis
 945 protendi caelo. Color olli nomen ab ortu
 946 primigeno statuit ; sic zonam Graecia sollers
 947 concelebrat, nostro sic balteus ore notatur.
 948 Non isti forma similis similisve colore
 949 circulus est alius ; modus et mensura duobus
 950 est compar solis, alios duo parcius artat
 951 linea nec multa trahit istos ambitus aethra.
 952 Horum alius, duri qua solvunt flabra Aquilones
 953 et qua praecipitant Borealia flamina sese,
 954 axe Lycaonio jacet obvius. Hic Geminorum
 955 sunt capita, hic genua Aurigae defixa quiescunt.
 956 Circulus hic idem retinet pede Persea laevo
 957 atque sinistro umero ; cubito tenus hic quoque dextram
 958 sustinet Andromedae (manus extrema desuper acri
 959 subrigitur Boreae, cubito inclinatur in Austrum
 960 maerens Andromeda). Hic celeris vestigia summa
 961 praestringuntur Equi, praestringitur Ales ab ipso
 962 verticis extremo. Secat hicumeros Ophiuchi
 963 circulus et secum flagrantia dorsa revolvit.
 964 Erigone tepidum sese submittit in Austrum,
 965 virgineosque pudens zonae super invidet artus.
 966 Sed Leo, sed Cancer Borealis tramite caeli
 967 viscera protendunt ; at circulus ima calentis
 968 pectora perque alvum procul in postrema Leonis
 969 succedit ; secat ast alium per viscera plana
 970 et medium subter cava tegmina dividit, orbe
 971 lumina secludens altrinsecus. Orbita porro
 972 ista poli partis si discernatur in octo,
 973 quinque super volvit se partibus, at tribus alti
 974 intrat stagna sali. Sol istinc flammifer aethram

975 jam relegit, pulsuque deus semel ordine facto
 976 flectitur aestivo, neque celsum semita in axem
 977 sideris erigitur : via rursus nota jugales
 978 suscipit, inque Notum rutili redit orbita Solis.
 979 Circulus iste quidem Cancro tenus adjacet axem
 980 semper innociduum. Procul alter cardine in Austri
 981 dividit imbriferi corpus medium Capricorni,
 982 Idaeique pedes pueri postremaque caudae
 983 caeruleae. Lucet brevis hic Lepus, hic Canis artus
 984 conditur extremos, hic Thessala cernitur Argo,
 985 hic Centaureae fera molis terga secantur.
 986 Iste venenatae disjecta volumina caudae
 987 amputat, hic arcu protenditur ampla sagitta.
 988 Ultimus hic Phoebo locus est, ubi lapsus in Austrum
 989 pellitur : albenti cum canent tempora bruma,
 990 sideris hic metae ; procul istuc caelitate curru
 991 axe sereniferi descendit Sol Aquilonis.
 992 Partibus iste tribus tantum se circulus effert,
 993 quinque latet, crepuli succedens stagna profundi.
 994 Inter utrumque dehinc, quantus jacet ambitus illi
 995 zonarum cani specie quae lactis in Aethra
 996 cernitur, ingenti se tramite linea tendens
 997 dividit ima Noti discernit et alta Aquilonis.
 998 Hic luci modus et tenebris sub legemagistra
 999 pensatur : nox aequa diem subit, aemula Phoebus
 1000 lumina substituit paribusque revolvitur horis,
 1001 vel cum summa aestas coquit agri viscera hiantis,
 1002 vel cum floricommo jam tellus vere movetur.
 1003 Ast isti, celsae quae tramite panditur aethrae,
 1004 indicium est Aries : hunc totum linea quippe
 1005 sustinet. Hic Tauri curvantur crura minacis
 1006 et rutilat stellis hic balteus Orionis.
 1007 Spira Anguis, levis hic Crater et edacia Corvi
 1008 ora inhiant, hic sunt flexarum denique flammae
 1009 Chelarum, genua hic rigidi vibrant Ophiuchi.
 1010 Nec Jovis armigero caret alite : namque per ipsum
 1011 fulva Aquila est. Caput hic Equus eminent, hicque comanti
 1012 cervice erigitur clarae dator Hippucrenae.
 1013 Tris omnis recto contentos tramite caeli
 1014 distantisque pari spatio sibi transigit axis,
 1015 omnibus et mediis ter circumfunditur idem.
 1016 Desuper obliqua est alii via, quartus et iste
 1017 stringitur artatus zonarum mole duarum,
 1018 quas ab diversa mundi regione locatas
 1019 cire repercussi momentum diximus astri ;
 1020 hunc alius medium medius secat. Haud dea Pallas,
 1021 vel licet haec cunctos praecellat acumine divos,
 1022 compingat parili sic lubrica plaustra meatu,
 1023 implicet ut spatiis sibimet distantibus orbes,
 1024 qualia devexo nectuntur ab ordine cuncta
 1025 urgunturque viam similem noctesque diesque
 1026 lucis ab exortu procul in vada Calpetana.
 1027 Nam Tithoneo cum sunt elata profundo,
 1028 rursus in occiduos merguntur singula fluctus
 1029 ordine partito : similis nascentibus ortus,
 1030 scandendi lex una movet ; par denique lapsus
 1031 omnibus, et simili conduntur sidera casu.
 1032 Ille autem Oceani tantum descendit in aequor

1033 quantum ab caeruleo distat Cancro Capricornus,
 1034 et quam multus item est, ubi gurgite protulit ortum,
 1035 tantus in adversas itidem est cum labitur undas
 1036 signifer. In spatio, quantum deducitur orae
 1037 ambitus extremae, puncti vice terra locanda est,
 1038 unde acies, oculis cum tenditur (haec quoque puncti
 1039 sedem habet exiguo), procurrit missa per auras.
 1040 Signiferi in summum medio de tramite si quis
 1041 dirigat obtutus agilis procul, hosque locorum
 1042 defessos longo spatio tener amputet aer,
 1043 id quod contenti visus absciditur ultro
 1044 siqui in signiferi patulum circumferat orbem,
 1045 sex olli partis magnae dabit ambitus orae ;
 1046 ast hae dimensa spatii sic lege locantur
 1047 bina ut decisis includant partibus astra.
 1048 Olli Cancer inest, Leo flammifer, Attica Virgo,
 1049 braccbia sunt itidem Chelarum et Scorpius ipse,
 1050 Arquitenens, saetosa dehinc species Capricorni
 1051 volvitur, auratam protendit Aquarius urnam,
 1052 tum duo sunt Pisces, Aries, Taurus Geminique.
 1053 His se bis senis sol admovet, hisque recurrens
 1054 omnibus absolvit totos reparabilis annos.
 1055 Quem cum signiferi graditur sol aureus orbem,
 1056 singula frugiparos attollunt tempora vultus.
 1057 Illius Oceano quantum submergitur alto,
 1058 tantum tellurem supereminet. Omnibus iste
 1059 noctibus illabens pelago sex inserit astra,
 1060 sex reparat. Tanto nox umida tempore semper
 1061 tenditur, extulerit quantum se circulus undis
 1062 At si scire velis mora lucem quanta retentet
 1063 et quanto nox atra sibi trahat otia lapsu,
 1064 quae procul Oceano consurgunt signa notato :
 1065 horum semper enim comes est Titanus uni.
 1066 Horum prima oculis memor incunabula quaere,
 1067 luminis ipsa vagi captans venatibus, ipsa,
 1068 ipsa notans mundo. Quae si se nubibus abdent,
 1069 aut si, cum surgunt, ut tellus saepe tumescit,
 1070 occultata jugo praetentaque rupe latebunt,
 1071 prompta via est aliis venientum tempora signis
 1072 noscere : namque ipso deprenderis indice cuncta
 1073 Oceano, magnam qui circum amplectitur undis
 1074 tellurem, curvet celando ut litora mundo
 1075 latius atque sinu patuli salis hauriat astra.
 1076 Istius indicium praebebunt cornua semper,
 1077 vel matutino qua perstrepat aera fluctu,
 1078 acer Atlantei vel qua furit aequoris aestu.
 1079 Nam non obscurae, cum Cancer commovet ortum,
 1080 Oceano stellae circumvolventur utroque,
 1081 in freta labentes aut quae se rursus Eoi
 1082 parte ferunt mundi. Minoae clara Coronae
 1083 sarta cadent, Austri tergo cadet incola Piscis ;
 1084 hunc medium pendere tamen mediumque sub undas
 1085 cedere per spinam, rutila labente Corona,
 1086 semper suspicies. At tergi plurima versum
 1087 ventre tenus summo supera inter sidera cernes :
 1088 os et colla dehinc et pectora vasta per aequor
 1089 mersantur. Premit ab genibus celsos Ophiuchum
 1090 usque umeros Cancer, Cancer premit ortus et Anguem,

1091 agmine qua vasto fluitat caput, aspera cervix
 1092 qua tumet et spiris qua turgent pectora primis.
 1093 Parte nec Arcturus distabit multus utraque :
 1094 jam minor in superis, jam viscera plurimus alto
 1095 conditur ; hunc etenim consortem quattuor astris
 1096 Oceanus recipit. Satur hic vix luminis, omnis
 1097 cedit et inspiciens tandem convexa relinquit.
 1098 Tum jam plus mediis nox inclinabitur horis
 1099 cum labente die Phoebos comes ibit in undas.
 1100 Ista quidem vasti conduntur gurgitis alto ;
 1101 contra autem, nullo non vultum viscere honorans
 1102 Orion, rutilans ardentia cingula late,
 1103 et flagrans umeros et splendens ense corusco
 1104 Eridanumque trahens, alio se litore promit.
 1105 Adveniente dehinc villosa colla Leone,
 1106 omnia quae Cancro sese emergente per aethram
 1107 extima erant abeunt. Quin et Jovis ales in undas
 1108 conditur et totis raptim petit aequora pinnis.
 1109 Sed Nixus genibus, replicato iuge residens
 1110 poplite, jam superi celatur corporis artus ;
 1111 non tamen iste genu, non laevam gurgite plantam
 1112 occulitur, non Oceanus vorat omnia signi.
 1113 Proserit Hydra caput, claro Lepus exsilit ortu
 1114 et Procyon primique pedes Canis ignicomantis.
 1115 Erigone salsis cum vultum exegerit undis
 1116 aeris ut patuli jam conscia permeet aethram,
 1117 astrorum numerosa premit. Nam Virgine Eoo
 1118 consurgente freto cedit Lyra Cyllenaea,
 1119 cedit Delphinus pelago ceditque Sagitta,
 1120 primumque pinnarum pars canum condit Olorem :
 1121 vix jam cauda salum superat ; vix lumine parco
 1122 eminent Eridanus : ponto procul efflua tinguit.
 1123 Celatur sonipes caput impiger, ardua cervix
 1124 Tethyos ima petit, salso juba rore madescit.
 1125 Hydra superpositum procul in Cratera movetur
 1126 parte alia et liber vestigia Sirius ardet
 1127 ultima, caeruleo protelans aequore Puppim.
 1128 Illa micat maloque tenus sese exserit Argo,
 1129 cum jam virgineos aether vehit altior artus.
 1130 Nec, cum falcatas emittunt marmora Chelas
 1131 sideris expertis et clara luce carentis,
 1132 non est nota dies aut est ignobilis ortus.
 1133 Namque his indicium proprio fert ore Bootes
 1134 plurimus exoriens, Arcturumque eminus alto
 1135 cardine succendit. Jam celso Thessala Puppis
 1136 aethere subvehitur, jam mundo funditur Hydra
 1137 longior, extremaeque polum subit indiga caudae.
 1138 Curva Chii caelo cum surgunt bracchia signi,
 1139 inspicere ceu dextra referatur ab aequore planta
 1140 inque genu tantum Nixus pede proferat ortum.
 1141 Iste Lyrae rutilat conterminus, atque sub unis
 1142 hic tenebris petit occidui vada caerulea ponti
 1143 et mox Oceano reparatur clarus Eoo.
 1144 Cum Chelis igitur pede tantum promitur uno ;
 1145 ipse dehinc, versus procul in caput, ultima monstri
 1146 terga manet, manet Arquitegens dum spicula caelo
 1147 exserat et supera vibrei bellator in aethra.
 1148 Haec sidus revehunt : Chelae crus, Scorpius ipse

1149 cetera cum medio, laevam et caput oraque rursum
 1150 Arcus agit. Tribus hic tandem remorantia membra
 1151 partibus erigitur, tria totum denique signa
 1152 absolvunt pelago. Mediae tumserta Coronae
 1153 et quae Centauro diffunditur extima cauda,
 1154 prima venenati cum repunt bracchia monstri,
 1155 surgunt Oceano. Jam gurges et ultima Cygni
 1156 et caput acris Equi premit aequore, jam procul ista
 1157 marmoris occidui penitus petiere profundum
 1158 hausta salo. Caput Andromedae freta vasta receptant,
 1159 ac formidatam devexi cardine mundi
 1160 fluctigeni speciem monstri superinvehit Auster.
 1161 Sed Boreae de parte trucis velut aggere ab alto
 1162 prospiciens superi subrecto verticis axe
 1163 intentusque procul specie, vaga bracchia Cepheus
 1164 exserit et saevam pelagi monet adfore pestem.
 1165 Illa tamen, versa in Fluvium, postrema profundo
 1166 tinguitur ab spina capiti quae proxima summo est.
 1167 Undas succedens Cepheus et verticem et ulnas
 1168 mersatur patulas. Quin et cum Scorpius acer
 1169 nascitur Oceano, quidquid per sidera aquarum
 1170 ad speciem Eridanus pater exspuit, abditur alta
 1171 Tethye et occidui tegitur Padus aequore ponti.
 1172 Scorpius ingentem perterritat Oriona
 1173 proserpens pelago. Vetus, o Latonia virgo,
 1174 fabula, nec nostro struimus mendacia versu :
 1175 prima nefas duri compegit germinis aetas,
 1176 prima dedit populis. Caecus mos mentis acerbae
 1177 immodicusque furor sceleris penetraverat oestro
 1178 impia corda viri. Caluerunt dira medullis
 1179 protinus in mediis incendia, plurimus ardor
 1180 pectore flagravat. Tene improbus ille procaxque
 1181 te, dea, te dura valuit contingere dextra,
 1182 cum sacrata Chii nemora et frondentia late
 1183 bracchia lucorum, cum silvae colla comasque
 1184 devotae tibimet manus impia demolita est
 1185 audax ut facinus donum daret Oenopioni ?
 1186 Digna sed immodico merces stetit ilicet ausu :
 1187 nam dea, nubiferi perrumpens viscera montis,
 1188 dirum antris animal saevos vomit hostis in artus.
 1189 Ergo ut falcatis monstrum petit Oriona
 1190 morsibus et totas in membra ferocia chelas
 1191 intulit, ille mali poenas luit. Ista furori
 1192 praemia debentur, sunt haec commercia laesis
 1193 semper numinibus. Metus hic, metus acer in astro
 1194 permanet et, primo cum Scorpius editur ortu,
 1195 Orion trepido terrae petit extima cursu.
 1196 Nec minus Andromedae quidquid volitabat in aethra
 1197 et siquid Pistris reliquum convexa vehebant
 1198 hoc oriente ruunt. Omnis procul in vada terror
 1199 inserit et cunctos pavor unus in aequora cogit.
 1200 Cepheus ipse caput distentaque bracchia vasto
 1201 induitur ponto, tellurem cingula radunt
 1202 extima, et Oceano mersantur pectora rauco
 1203 sola senis ; reliquum polus altior aere versat
 1204 semper innociduo. Genetrix quoque Cassiopeia
 1205 sidera praecipitis sequitur labentia natae,
 1206 deformemque trahit procul in vada caeca ruinam,

1207 Prona caput solio, solio vestigia ab alto
1208 sustollit miseranda super : quatit ira furorque
1209 Doridos et Panopes post fata novissima matrem,
1210 ac memor has poenas dolor exigit. Omnia fluctus
1211 haec simul occiduos subeunt ; tamen altera mundas
1212 sufficit, inque vicem lapsorum multa reportat.
1213 Tempore namque isto reliquae se sarta Coronae
1214 expediunt pelago, postremique agminis Hydra
1215 erigitur caudam. Caput et turgentia membra
1216 Centauro exsuperant, manus effert dextera praedam
1217 silvarum. Nam prima ferae vestigia molis
1218 Arcum sera manent, Arcu redeunte per aethram
1219 protolli incipiunt, reliquum Serpentis et artus
1220 Anguitenentis item fert primis fluctibus Arcus.
1221 Amborum capita et palmas geminas Ophiuchi
1222 ac primam rutili spiram Serpentis Eoo
1223 Scorpius Oceano surgens agit. A pede Nixi,
1224 quem procul aversum semper salis alta remittunt,
1225 tunc artus medii, tum pectora vasta umerusque
1226 dexteraque ulnarum spumosi gurgitis aestu
1227 procedunt pariter. Caput et manus altera porro,
1228 tota Sagittigeri cum vibrant astra, feruntur.
1229 Mercurialis item Lyra volvitur, altaque Cepheus
1230 cardine sustollens vestigia gurgite nondum
1231 pectora liber agit, sed pectora mersus in undas
1232 plaustra Lycaoniae pulsat pede desuper Ursae.
1233 Tempore non alio magni Canis ignea cedunt
1234 sidera, protentum freta jam procul Oriona
1235 hauserunt pelago, toto Lepus occidit astro.
1236 Tum quoque et Oceano fugientem Sirius urget.
1237 Sed non Aurigam, cum gurgitis ille profundi
1238 ima petit pedibus, Capra mox Haedive sequuntur :
1239 ista polo rutilant, illum vada livida condunt.
1240 Haec membris discreta aliis exstantiaque alte
1241 laevum umerum et summae sese attollentia palmae
1242 cernuntur, donec labenti congrada soli
1243 sidere devexo freta late caerula turbent.
1244 Namque manum Aurigae reliquam celsumque corusci
1245 verticis et dorso qua spina attollitur alto
1246 deprimit hirsuti sidus surgens Capricorni
1247 - membra Sagittigero cedunt postrema revecto - .
1248 Jam non alatus remoratur viscera Perseus
1249 aeris in spatiis, neque clavum vindicat Argo
1250 alluvione sali : Perseus, pede denique dextro
1251 atque genu liber, mersatur cetera ponto ;
1252 Argo, quod curvis puppim super attrahit oris,
1253 tinguitur et duro tangit vada caerula dorso.
1254 Ipsa dehinc manet exortum gelidi Capricorni,
1255 totaque tum pelago caelo descendit ab alto
1256 aequora cum Procyon, gressum sectatus erilem,
1257 intrat et Oceano permutat celsa profundo.
1258 Haec habet occidui plaga gurgitis, ista sonoro
1259 supprimit unda salo. Rursum procul erigit aethra
1260 Cygnum Aquilamque Jovis, surgunt flammata Sagittae
1261 sidera perque Notum rutilat tum numinis Ara,
1262 Delphinum parvas promit Capricornus in auras.
1263 At matutino cum surgit Aquarius orbe,
1264 os Equus atque pedes novus exserit. Ecce cadentis

1265 parte poli trahit occiduum nox atra sub aequor
1266 Centaurum cauda, sed non caput aut umerorum
1267 vasta simul recipit : persistit pectore celso
1268 cornipedis species et caelum vertice fulcit.
1269 Ora dehinc Serpens et prima volumina tantum
1270 conditur : ingentis late tamen agmina caudae
1271 pone trahit. Subit ista salum, subit aequora rursum,
1272 integer Oceani cum se Centaurus in undas
1273 jecerit atque novo vibrarint sidere Pisces.
1274 His in summa poli surgentibus, ille per Austrum
1275 Piscis item, planta quem pulcher Aquarius urget,
1276 redditur ; haud toto tamen hic se corpore promit,
1277 sed manet alterius venientis tempora signi :
1278 parte latet, partem supera in convexa sonoris
1279 fluctibus absolvit pelagi. Sic bracchia maestae
1280 Andromedae, sic crura dehinc umerique nitentes
1281 paulatim recavo redeunt maris, aurea caelo
1282 postquam adolent Pisces incendia. Denique Pisces
1283 cum rutilant mundo, dextram haec attollitur ulnam
1284 laevaue virginei rursum se corporis edent
1285 Phrixei postquam pecoris proruperit ortus.
1286 Australem hic Aries Aram procul admovet undis
1287 gurgitis occidui. Qua lux redit, excitat idem
1288 Persea proceri sustollere verticis astra
1289 et claros fulgere umeros ; at cetera nondum
1290 sunt exempta salo. Quin totum hoc invida veri
1291 Natura ambigua rerum ratione reliquit
1292 extimus an reliquos Aries produceret artus
1293 Perseos an Tauro freta pelleret adsurgente.
1294 Hoc una caelum subit integer. Haud reses ullo
1295 viscere nascentis nova Tauri deserit astra
1296 quippe hujus flammis Aurigae sidus inhaeret,
1297 nec tamen hunc totum sustollit Taurus in aethram :
1298 Aurigam salsis evolvunt fluctibus omnem
1299 surgentes Gemini. Tauro Capra plantaue laeva
1300 atque Haedi exsuperant, cum primum rursus ab undis
1301 cetosa in superum referuntur viscera caelum :
1302 nam cauda et cristae rigor arduus aera celsum
1303 tunc repetunt. Diri cum sidera gurgite monstri
1304 volvit praecipitis teres inclinatio mundi,
1305 eminus ingentem condit pars prima Booten.
1306 Quattuor hic etenim signis surgentibus altum
1307 vix penetrat pelagus, neque summa totus ab aethra
1308 labitur Arcturus : manus olli quippe sinistra
1309 juge manet, celsisque super subducitur Ursis.
1310 At cum jam pedibus repetit fluctus Ophiuchus
1311 ut genua Oceanus vasto procul aequore condat,
1312 signum erit Eoa Geminos procedere parte.
1313 Nec lateri Pistris cuiquam vicina videtur,
1314 sed jam tota super sustollitur, exspuit atram
1315 jam pelagus speciem nec adhuc tamen extima sorbent.
1316 Quin et nascentis suspectat navita ponto
1317 agmina prima Padi caelo tum fervere aperto,
1318 vicinasque faces rutili manet Orionis,
1319 curricula ut sollers vero mox indice discat
1320 certa tenebrarum, possitque fideliter astro
1321 explorare Notos et tuto carbasa ponto
1322 credere. Ni desit magnorum congrua cura,

1323 prompta via est ipso cognoscere talia semper
1324 praeceptore Jove, et caelo tibi signa magistro
1325 omnia ducentur : monet alta Juppiter aethra
1326 singula nos, facilis veram dedit arbiter artem
1327 ne tempestatum primordia caeca laterent.
1328 Nonne vides, primum cum Phoebe in cornua surgit
1329 tenuia et angusto lumen jacet ore per aethram
1330 decedente die pronoque ab tramite solis,
1331 promat ut ingressi sollers tibi tempora mensis ?
1332 Namque facem quarti sibimet profitebitur ignis
1333 corpora cum primum perfundens lumine nostra
1334 in subjecta soli tenuem porrexerit umbram.
1335 Ast orbis medii si caedat Cynthia formam,
1336 octavos ortus octavaque plaustra docebit.
1337 Denique cum toto dea jam surrexerit ore
1338 integer ut magni resplendeat ambitus orbis,
1339 effluxisse sibi medii jam tempora mensis
1340 monstrabit caelo. Pleni cum rursus egena
1341 oris eat, tanto procedens lumine formae
1342 inserit aeriis quantum dea nubibus ignis,
1343 esse senescentis sibimet dispendia mensis
1344 illa docet, quibus in rutili confinia fratris
1345 tertia vix mundo superest via. Cum minus autem
1346 umbrarum excludit, sunt tales quattuor ortus
1347 marcentis lunae quales sub mense renato
1348 quattuor exsurgunt languentis luminis umbrae,
1349 atque his octonas includunt ordine luces.
1350 Interjectorum numerum quoque nosse dierum
1351 prompta via est : proprio semper dea proditur ore,
1352 scandat quanta polum, quotiens temone juvencos
1353 strinxerit et quanto jam tramite liquerit undas.
1354 At decedentis postrema crepuscula noctis
1355 bis sex signa tibi, quae versat signifer orbis,
1356 monstrabunt : cursu nam Phoebus singula mutat
1357 semper et alterno succedit in omnia lapsu.
1358 Conficiens iter aetherium, nunc igneus istud
1359 astrum adolet flammis, alii nunc aurea Titan
1360 lumina miscetur, vel cum devexus in undas
1361 labitur et rebus formam absumpsere tenebrae,
1362 vel matutino redit incunabula linguens
1363 cum pelago et rebus suffudit luce colores.
1364 Sic diversa diem comitantur sidera semper.
1365 Non ego nunc longo redeuntia sidera motu
1366 in priscas memorera sedes : habet ista priorum
1367 pagina, et incerta rerum ratione feruntur.
1368 Namque Solon hiberna novem putat aethere volvi
1369 ut luna in spatium redeat vetus, Harpalus ipsam
1370 ocius in sedes momentaque prisca reducit,
1371 illius ad numeros proluxa decennia rursum
1372 adjecisse Meton Cecropea dicitur arte
1373 insevitque animis ; tenuit rem Graecia sollers
1374 protinus et longos inventum misit in annos.
1375 Sed primaeva Meton exordia sumpsit ab anno
1376 torreret rutilo cum Phoebus sidere Cancrum,
1377 cingula cum veheret pelagus procul Orionis
1378 et cum caeruleo flagraret Sirius astro.
1379 Hoc ut fonte Meton deduxit tempora lunae,
1380 navita quo longum facili rate curreret aequor

1381 et quo ruris amans telluri farra parenti
1382 crederet : ingenti petat haec indagine semper
1383 seu qui vela salo, seu qui dat semina terrae.
1384 Nec mora discendi, brevis huc labor et breve tempus
1385 poscitur, innumeros habet autem industria fructus.
1386 Utilitas te certa manet, praenosceret motus
1387 si libet aërios et tempestatibus ipsis
1388 edere principium : te primum sponte procellis
1389 arcebis rapidis, te rursus principe fluctus
1390 vitabunt alii, si certis singula signis
1391 tempora discernas. Nam mundi cardine verso
1392 ut statura raucisoni redit indignatio ponti :
1393 saepe etenim, quamquam tranquillae noctis amictu
1394 mitia protenti requiescant terga profundi,
1395 doctus securam subducit ab aequore classem
1396 navita et actaea retinet statione phaselum,
1397 cum matutinae praesensit signa procellae.
1398 Namque alias caelo cum tertia lumina Phoebus
1399 exserit, ille sali furit implacabilis horror
1400 adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum.
1401 Crebro quinta dehinc lux commovet Amphitriten,
1402 saepe inopina mali clades ruit. Omnia certis
1403 indiciis tibi luna dabit, seu lucis utrimque
1404 caesa facem, seu cum teretem concrevit in orbem.
1405 Sol quoque venturas aperit tibi saepe procellas,
1406 sidera producens et cum sale sidera condit.
1407 Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus
1408 aequoris et magnos caeli callere tumultus,
1409 quos det certa dies, qui longi tempore mensis
1410 astrorumque vice et mundi ratione trahantur.
1411 Aeris immadidi quiddam tellure creatum
1412 spiramenta vomunt. Vis hoc cum fudit in auras
1413 venarum, occulte patulo praetexitur agro
1414 insubjectum oculis, terramque supernatat omnem
1415 uvida materies ; quam cum calor ignicomantum
1416 hausit stellarum, superas subducit in auras
1417 et concreta diu compingit nubila mundo.
1418 Si minor haec madidi substantia caespite ab imo
1419 subrigitur, tenues nebulae caligine fusa
1420 tenduntur caelo. Vis autem sicciore olli
1421 cum fuit, in celeres dissolvitur undique ventos
1422 vicinumque sibi flabris dominantibus ultro
1423 aera propellit. Si major protinus umor
1424 consurrexit humo, pluvias quoque nubila fundunt ;
1425 et pluviis late calor est pater : hic super imbres
1426 exprimit et ductum ferventis ut obice mundi
1427 respuit umorem. Si moles magna utriusque
1428 occurset sibimet velut obvia, comminus acer
1429 compulsu aërio fragor intonat amplexu late
1430 murmura discurrunt pariter crepitantibus auris.
1431 Hic inflicto item diversorumque per aethram
1432 saepe superne furens illisio fulguris ignes
1433 excudit rutili, totamque volantibus aethram
1434 praestringit flammis et caelum sulphure odorat.
1435 Omnibus his genetrix tellus, et caespite ab imo
1436 ducuntur superi motus. Ipsa ignea mundi
1437 lumina, flammigero Phoebus temone coruscans
1438 et quae noctivagos attollit Luna juvencos,

1439 his peperere malis exordia. Namque deorum
 1440 movit humum cum forte calor, laxata repente
 1441 spiramenta soli venas procul altaque pandunt
 1442 viscera telluris ; bibit imum terra calorem
 1443 desuper et madidum tepefactus caespes anhelat.
 1444 Aeris hos motus rabiemque volubilis undae,
 1445 flabra procellarum, mundani tramitis iras
 1446 praesentire decet. Cape sollers singula mente,
 1447 praeceptisque virum sitientia pectora pande.
 1448 Cynthia cum primum caelo nova cornua promit,
 1449 cautus utrimque deam circumspice. Namque revectae
 1450 nequaquam semper similis lux imbuit ortum,
 1451 sed species diversa trahit varioque notatur
 1452 formarum, primi cum surgit luminis igne,
 1453 tertia cum rutilat, cum major sideris aethram
 1454 scandit et aérias quarta face luminat oras :
 1455 ingredientis erit plene tibi nuntia mensis.
 1456 Haec castigato si tertia fulserit ortu
 1457 pura sit ut foedis ab sordibus, adfore dicet
 1458 clara serena diu ; tenui surrexerit autem
 1459 si face et ignito suppinxerit ora rubore,
 1460 turbida certantes converrent aequora Gauri.
 1461 Luminis ista dehinc si crassior atque retunsis
 1462 cornibus ingreditur sic quarti sideris ortum
 1463 percussi ut tenuem protendat corporis umbram,
 1464 imbris aut Zephyris hebetabitur, arguet ultro
 1465 flabra Noti aut pluvias : nam crassus desuper aer
 1466 cornua caeca premit, Notus uvidus aera cogit.
 1467 Tertia si rursus protollat Cynthia currus
 1468 sic subrecta faces et acumina tenta coruscans
 1469 ut nec curva quasi declinet cornua nec se
 1470 fusa supinato diducat lumine in auras,
 1471 occiduo Zephyrum praedicet surgere mundo
 1472 aut Libyae de parte Notum. Sin quattuor autem
 1473 Cynthia curriculis caelum subit atque coruscis
 1474 cornibus immodice prostantibus exserit ignes,
 1475 vis prolixa salum ciet, ocius omnia Cauri
 1476 marmora convolvent, fera verrent flabra profundum.
 1477 Istius in Borean quod se sustollit acumen,
 1478 si curvum specie velut adnuat, adfore caelo
 1479 saeva procellosi praedicet flabra Aquilonis :
 1480 namque hoc urgeri sese adserit hocque gravari,
 1481 summata et vento docet inclinarier alta.
 1482 Indice rursus eo veniet Notus, hanc ubi partem
 1483 pone supinari conspexeris inque reclinem
 1484 sponte habitum pandi : nam subrigit Auster acumen
 1485 inferiore plaga. Si lunam tertius ortus
 1486 proferat atque deae convolvat circulus oras
 1487 suffusus rutilo, mox tempestate sonora
 1488 spumosum late pelagus canescere cernes ;
 1489 major et haec rauci versabit gurgitis undas,
 1490 ipsa quoque immodice si vultum luna rubescat.
 1491 Contemplator item, seu plenum luminis orbem
 1492 Cynthia distendit, seu cum teres ambitus olli
 1493 caeditur et mediae velut indiga lucis utrimque
 1494 sustinet obductae sibimet dispendia formae,
 1495 cornua prima replens et cornua fessa dehiscens.
 1496 Induit et qualem procedens ore colorem,

1497 hunc perpende oculis, ipso monitore dierum
1498 signa tene ac totum discerne in tempora mensem.
1499 Non unum deprensa diem tibi signa loquuntur
1500 nec vulgo in cunctis adsunt praecepta diebus ;
1501 sed quae signa novo dederit mox tertia motu
1502 quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,
1503 durabunt caelo, medio quae dixerit ore
1504 ignis in plenos. Hinc in dispendia rursus
1505 altera provisae signantur tempora lunae ;
1506 illa dehinc, donec germani luminis ignis
1507 accedat Phoebe, mensis postrema notabunt.
1508 Hoc quod protento vehit ingens mundus inani
1509 aera nomen habet ; quod spirat caespate tellus
1510 nubila dicuntur. Caelum super, aula deorum,
1511 axe adamanteo convolvitur. Hic sua certis
1512 sunt loca numinibus : Borealis verticis altum
1513 regia Saturni ; qua sicciior annus anhelat
1514 aestatis rutilo, calida stat Juppiter aethra ;
1515 immodicus terram qua desuper ignis adurit,
1516 Gradivo incolitur ; brumalis pulsus habenas
1517 qua Solis redigit, pulchro Venus obtinet astro ;
1518 ast ubi demerso latet ater circulus orbe,
1519 cessit Mercurio locus umbrifer. His super amplas
1520 quinque tenet zonas certo et via fervida Solis
1521 limite decurrit ; tum Lunam nubila propter,
1522 exhalantis humi qua spiramenta madescunt,
1523 ima vehunt caeli. Lux it dum fracta frequenter
1524 desuper in nubes rutilantis lampade lunae,
1525 pascitur umore et varias dea lumine formas
1526 exprimit inserto : sic crebro denique Phoebe
1527 nubibus ambiri, cum subsint nubila lunae,
1528 creditur. Hanc quotiens includere circulus ergo
1529 spectatur, proprio succedunt ordine signa :
1530 ille alias trino convolvit tramite lunam
1531 et geminus plerumque meat, solet unicus idem
1532 cingere. Si simplex circumversabitur orbem,
1533 signa procellarum certissima, signa sereni
1534 praeferet ; abruptus subitos praenuntiat Euros ;
1535 marcescens tenui sensim caligine et aethra
1536 digestus patula, docet undis adfore pacem.
1537 Si duo se lunae circumfudere, repente
1538 maxima vis pontum, vis verret maxima terras ;
1539 majoresque dehinc agitabunt stagna procellae
1540 si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem,
1541 et magis immodica formidine saeviet Auster,
1542 zonarum taeter fuerit si tractus in aethra.
1543 Denique disrumpant si sese cingula lunae,
1544 ultima tempestas ruet imi gurgitis aestum.
1545 Solis quin etiam, solis tibi cura videndi
1546 sit potior : solem melius praevisa sequuntur
1547 astrorumque duci monstrata tenacius haerent,
1548 sive ille occiduas vergat declivis in undas,
1549 seu se luciferis reparabilis exserat oris.
1550 Istius ingentes radii caliginis atrum
1551 et nebulosarum tractus piceos tenebrarum
1552 lumine dissiciunt, cum per chaos umbriferum vis
1553 flammea pervasit, cum se per noctis amictus
1554 inserit aerae fulgor facis. Ille calore

1555 pigra movet, srimulat rutilis torpentia flammis ;
1556 Sol sopita animat, Sol dura obstacula primus
1557 curru adamanteo reserat pater ; efflua Phoebus
1558 igne inhibet, Phoebus radiis densata relaxat.
1559 At cum flammigeri cedit vis inclita solis
1560 lucis egens, crassaeque deus latet obice nubis,
1561 et caelo et pelago magnos ait adfore motus.
1562 Non hic, cum primos educet gurgite vultus,
1563 ceu picturato diversos ore colores
1564 proferat ! Haud etenim tali tibi sole revector
1565 mitia jam caeli fas exspectare serena.
1566 Ai si tranquillo convexa cucurrerit astro
1567 indideritque facem ponto deus integer, ora
1568 nube carens purusque comas et splendidus orbe,
1569 convenit Eoae pacem praesumere lucis.
1570 Sed non ora cavo similis medioque recedens
1571 orbe quasi vel si radios discingitur ultro
1572 figat ut australem porrecto sidere partem
1573 ac Borean rigidi jaculetur luminis igne,
1574 et vento et pluviis reparata in luce carebit.
1575 Denique per flammis procul atque incendia sollers
1576 ipsa dei, cedunt blandi si lumina solis,
1577 tende oculos - certa hoc ducentur signa magistro - ,
1578 et ne sanguineus late rubor imbuat ora,
1579 qualia protractu vaga nubila saepe rubescunt,
1580 aut ne liventi piceus color abdat amictu
1581 lampada, quaere diu. Si taetro crassior orbe est,
1582 uvescet pluviis tellus, inflataque celsas
1583 aggere devicto superabunt flumina ripas ;
1584 ignea si fulgor percurrit plurimus ora,
1585 flamina crebra salis quatient vada, flamina terras
1586 converrent omnis et duri flabra Aquilonis
1587 silvarumque comas et celsa cacumina flectent ;
1588 vis simul amborum si vultum solis oberret,
1589 cuncta Noti quatient, imbres procul arva rigabunt.
1590 Ecce alias, primo nascentis solis in ortu
1591 vel cum praecipites pelago deus inserit ignes,
1592 ut coeunt radii nebuloso - cetera quippe
1593 pars Hyperioniae rutilat facis, hicque comarum
1594 vis confusa micans mundo sua lumina praestat,
1595 hic globus ater item liventia nubila cogit - ;
1596 nonnumquam crasso nebularum tectus amictu
1597 in convexa redit ; tum caelo rursus aperto
1598 cum ruit, opposita vultum caligine condit :
1599 omnibus his signis in terram defluet imber
1600 plurimus. Interdum tenuis praevertere nubes
1601 visa deum : haec celeri si praesurrexerit ortu
1602 ipseque pone sequens radiorum luce carere
1603 cernatur, nimbis ingentibus arva madebunt.
1604 At matutini si Phoebum litoris acta
1605 majorem solito produxerit atque per aethram
1606 marcenti similis diffluxerit extimus orbis,
1607 alta dehinc scandens minuatur jubar igniferum sol,
1608 pura serena aderunt : namque olli gurgitis aer
1609 crassior immodicum primo diffuderat orbem,
1610 et jam se tenero sustollens tramite caeli
1611 oblitum justis jubar attrahit. Hic quoque, magnis
1612 cum madefacta dies sub tempestatibus horret,

1613 pallidus ora cadens promittit pura serena :
1614 displosis etenim per apertam nubibus aethram
1615 ora laboranti similis languentia pallet,
1616 at disjectarum moles late nebularum
1617 indicat exuti faciem clarescere mundi.
1618 Quin nascente die venturos convenit imbres
1619 noscere, cum proni procul ad confinia caeli
1620 deferri piceo spectaris nubila tractu ;
1621 et cum declinant radii se partem in utramque
1622 lucis in occasu, nox ut serat algida rores,
1623 imber erit. Puras si Phoebus condat habenas
1624 et Calpetano tranquillum gurgite lumen
1625 tinguat, at illapsum nubes ignita sequatur,
1626 noxque diesque dehinc venturi rursus Eoi
1627 nimborum expertes et tempestatibus atris
1628 durabunt. Sed cum radiis marcentibus ardor
1629 languet et heu ! tenui tenduntur acumine frustra
1630 Phoebui crines, nimbos aget atra procella,
1631 talis et obducti cernetur forma diei
1632 qualem fraternos subtexens luna jugales
1633 lucem hebetat : subit haec superi sacra lumina solis
1634 inferior, mediaeque interstans lampadis orbe
1635 arcet flammigerae radium facis. Haud tibi rursus,
1636 cum matutinos molitur Lucifer ortus,
1637 ebria sanguineae subvolvunt vellera nubes
1638 namque gravis caelo fundetur protinus imber.
1639 Nec si, sole procul rutila inter stagna morante,
1640 emineant radii, radios quoque crassior umbra
1641 contegat, ille dies pluviis ventoque carebit.
1642 Quin erit imber item, si solem circulus ater
1643 ambiat exortum ; major se denique nimbus
1644 urgebit caelo, major sola perluet imber,
1645 circumfusa deo si cingula nescia solvi
1646 servarint taetrae speciem torpentia molis.
1647 Saepe etiam Phoebus nubes percussa rubescit,
1648 et meditata dei formam procul igne recepto
1649 concipit effigiem simulato luminis orbe.
1650 Id qua parte poli spectaveris, adfore ab ipsa
1651 parte tene ventos. Tamen haec, tamen omnia semper
1652 decedente die melius ventura docebunt.
1653 Convenit hic etiam parvum Praesepe notare.
1654 Id nubi nomen quae Cancro obvolvitur alto
1655 Graecia docta dedit. Duo propter denique Asellos
1656 suspice, quorum alius septem vicina trioni
1657 astra adolet, tepidum procul alter spectat in Austrum
1658 In medio quod nube quasi concrevit adacta,
1659 id Praesepe vocant. Porro hoc Praesepe repente
1660 si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem
1661 congruus aeriis late rubor ignis Asellis,
1662 nequaquam tenues agitabunt stagna procellae.
1663 At si sideribus similis lux duret et illi
1664 taetra sit effigies, ruet altis nubibus imber
1665 lenior et parco mox tellus rore madebit.
1666 Sed Boreae si parte trucis velut indiga justae
1667 stella facis lento marcescere cernitur igne
1668 et procul alterius juba late flagrat Aselli,
1669 protinus Aethiopum surget convallibus Auster.
1670 At regione Noti si lucem stella senescat,

1671 saevus Riphaeis Aquilo crepitabit ab oris.
 1672 Quin et terrenis cape rebus certa frequenter
 1673 signa procellarum. Nam cum traxere tumorem
 1674 aequora prolixum, cum litora curva resultant
 1675 sponte procul neque caeruleus colliditur aestus,
 1676 aut cum proceris vertex in montibus ultro
 1677 perstrepit aerium, ventos instare docebunt.
 1678 Et cum parva fulix trepido petit arva volatu
 1679 stagna sinens longasque iterat clangore querelas,
 1680 indicat insanis freta mox canescere ventis.
 1681 Denique cum caelo tenduntur pura serena,
 1682 si ruitura polo sunt flamina, primus in ipsa
 1683 mox picturati convertit pectoris artus
 1684 sturnus edax, premat ut tenui vis obvia plumas
 1685 et ne post tergum pateat penetrabilis Euro.
 1686 Latipedemque anatem cernes excedere ponto
 1687 saepius et summa nebulam se tendere rupe,
 1688 jamque super latices florum volitare senectam,
 1689 stellarumque comas rumpi procul, aethere celso
 1690 decidere in terras, rutilarum spargere crines
 1691 flammaram et longos a tergo ducere tractus :
 1692 inde etiam ventos mox adfore praemonet usus.
 1693 Quod si diversis se passim partibus ignes
 1694 excutiant, verret pelagus sine fine modoque
 1695 turba procellarum, si duri limite ab Euri,
 1696 si regione Noti, si lenis parte Favoni
 1697 aut de Bistonio mundi procul axe coruscat.
 1698 Vellera si caelo volitent, si discolor Iris
 1699 demittat gemino se fornice, circulus albam
 1700 si stellam taeter velut ambiat, aequora propter
 1701 si crepitent volucres, si gurgite saepius alto
 1702 pectora mersentur, si crebro garrula hirundo
 1703 stagna adeat, rutilae cum sint primordia lucis,
 1704 si repetunt veterem ranae per stagna querelam,
 1705 si matutinas ululae dant carmine voces,
 1706 improba si cornix caput altis inserit undis
 1707 flumine terga rigans, si saevit gutture rauco,
 1708 plurimus abruptis fundetur nubibus imber.
 1709 Imber erit, latis cum bucula naribus auras
 1710 concipit, et late pluviis sola cuncta madebunt,
 1711 cum proprias sollers sedes formica relinquens
 1712 ova cavis effert penetralibus (aspera quippe
 1713 tempestas gelidusque dies et frigidus aether
 1714 inserit internis terrarum sedibus aestus),
 1715 pectora cum curvo purgat gallinula rostro,
 1716 agmine cum denso circumvolitare videtur
 1717 graculus et tenui cum stridunt gutture corvi,
 1718 cum procera salum repetit clangore frequenti
 1719 ardea, cum parvae defigunt spicula muscae ;
 1720 et si nocturnis ardentibus undique testis
 1721 concrecant fungi, si flammis emicet ignis
 1722 effluus aut lucis substantia langueat ultro,
 1723 convenit instantes praenosceret protinus imbres.
 1724 Denique cum patulum torret Vulcanus aenum,
 1725 scintillas flamma circumlambente relinquit
 1726 si Notus humentis Libyco trahit aethere nubes.
 1727 Sin imum ad montem nebularam crassus amictus
 1728 tendatur, summo nudentur vertice saxa,

1729 et qua pontus item freta per distenta quiescit
 1730 nubila si longo se procumbentia tractu
 1731 diffundunt, caelo et Thetidi terrisque supinis
 1732 pax aderit, nusquam mundo ruet effluus imber.
 1733 Sed cum tranquillo tenduntur vasta serena
 1734 sub Jove, venturae praenosceret signa procellae
 1735 convenit ac rursus, cum perfurit aeris horror,
 1736 inspicere quae referant terris pelagoque quietem.
 1737 Inter prima tamen parvum Praesepe notato,
 1738 arduus excelso quod Cancer cardine volvit :
 1739 hoc, cum concretus tenuari coeperit aer,
 1740 discutit impositae late sibi molis amictum ;
 1741 namque sereniferi patet hoc in flabra Aquilonis
 1742 comminus, et primo purgatur flamine venti.
 1743 Tempore tum proprio modulatur noctua carmen,
 1744 tum vespertinum cornix longaeva resultat,
 1745 tum corvi crepitant et ovantes gutture rauco
 1746 agmina crebra vocant, tum nota cubilia laeti
 1747 succedunt pariter, tum pennis corpora plaudunt ;
 1748 tunc et Strymonias circumvolitare repente
 1749 suspiciones per aperta grues, ubi mitior annus
 1750 sponte procellosum disjecerit aera caelo.
 1751 Tunc quoque cum stellis hebes est lux omnibus ultro
 1752 nubila nec crassos circumduxere meatus
 1753 ut jubar occulerent flagrantibus obvia flammis,
 1754 nec caligo inhibet rutilantis lampados ignes
 1755 orbe nec expleto sacra sidera luna retundit,
 1756 sed jam sponte sua stellarum lumina marcent,
 1757 convenit hibernae praenosceret dura procellae.
 1758 Nubila si caelo consistere, nubila ferri
 1759 sique superfundit sibimet suspexerit ultro,
 1760 gramina si carpit semesa petacius anser,
 1761 si nocturna tibi cornix canit, Hesperus aethra
 1762 cum redit, innumero si cantu graculus instat,
 1763 si matutino fringuilla resultat ab ore,
 1764 si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei,
 1765 orchilos infestus si floricomis hymenaeis
 1766 ima petit terrae, si denique parvus eritheus
 1767 succedit trepide scruposae concava rupis,
 1768 Cecropias si pastus apis vicinus ob ipsa
 1769 castra inhibet florumque simul libamina maestae
 1770 proxima decerpunt, si Threiciae per aperta
 1771 sponte grues trepidant nec sese audacibus aethrae
 1772 committunt pennis, ut longos saepe volatus
 1773 formavere super, si solvit aranea casses,
 1774 tenuia si toto vehit Auster licia caelo,
 1775 mox tempestates et nubila taetra cientur.
 1776 Quid majora canam ? Cinis en cinis ipse, repente
 1777 cum coit, albenti nix terras vestit amictu.
 1778 Nix operit terras, rutilis ubi lumina prunis
 1779 summa rubent errantque breves caligine crassa
 1780 interius nebulae et denso jam fomes in igni
 1781 marcescit penitus. Pluvios mox arguet Austros
 1782 induit immodicis cum semet floribus illex :
 1783 indiga nam suci ligno natura rigenti est,
 1784 et cum flore novo, cum bracchia glande gravantur,
 1785 uventis caeli sibi nutrimenta latenter
 1786 sponte operata docet. Quin et lentiscus amara

1787 indicium est pluviis. Ter fetum concipit arbos
1788 terque novos genetrrix fructus alit, ipsaque trino
1789 flore renidescens tria tempora prodit arandi.
1790 Ter prorumpentis scillae teres erigitur flos,
1791 sulcandique solum ter monstrat tempus adesse.
1792 Sic et crabronum rauca agmina si volitare
1793 fine sub autumni conspexeris aethere longo,
1794 jam vespertinus primo cum commovet ortus
1795 Vergilias pelago, dices instare procellas.
1796 Sique sues lentae, si lanae sedula nutrix,
1797 si capra dumosis errans in saltibus ultro
1798 in venerem pergat (quippe ollis uvidus aer
1799 excitat internum per viscera mota furorem),
1800 et tempestates et nubila protinus atra
1801 adfore praecipies. Quin et gaudebit arator
1802 quisque solum justis versarit mensibus anni
1803 plebe gruum prima, gaudebit tardus arator
1804 agmine pigrarum, si quadam lege deorum
1805 his comes est imber. Pecudes si denique terram
1806 lanigerae fodiant, caput at tendatur in Arctum,
1807 cum madidus primum per marmora turbida condit
1808 Pleiadas occasus, cum brumae in frigora cedit
1809 frugifer autumnus, ruet aethra concitus imber.
1810 At ne perruptis terrarum dorsa lacunis
1811 infodiant pecudes ! Si vasto viscera hiatu
1812 discutiant terrae, veniet vis aethere toto
1813 dira procellarum, nix omnis vestiet agros,
1814 nix herbas laedet teneras, nix uret aristas.
1815 At si contigerit plures ardere cometas,
1816 invalidas segetes torrebit siccior aer.
1817 Nam quae prorumpunt naturae legibus ultro
1818 spiramenta soli, si justus defuit humor,
1819 arida, per caelum surgentia, desuper aethrae
1820 ignescunt flammis, mundique impulsa calore
1821 excutiunt stellas et crebro crine rubescunt.
1822 Contemplator item : si longo plurima ponto
1823 agmina festinant volucrum solidamque frequentes
1824 succedunt terram, sterilis desaeviet aestas
1825 ac sitient agri. Nam qua circumflua tellus
1826 adluitur pelago, coquit altas siccior aer
1827 caespitis arentis venas, citiusque calorem
1828 sentit humus sic cincta salo. Fuga protinus ergo
1829 est avium in terras ; pavet, has ut viderit, aestus
1830 agricola et sicco jam deflet mergite culmos.
1831 Sed si se modico producant agmine ab undis
1832 nec trepido passim versent convexa volatu,
1833 laetitia est duris pastoribus : adfore parcos
1834 praesumunt imbres. Sic in contraria semper
1835 vota homines agimur, nostrique cupidine fructus
1836 poscimus alterius dispendia. Sed cuique ipsa
1837 sollers natura et rerum genitabilis ordo
1838 certa suis studiis adfixit signa futuri.
1839 Namque et ovis cupido si gramina tondeat ore
1840 insaturata cibus, decerpens latius agros,
1841 pastori indicium pluvialis frigoris edet ;
1842 et si persultans aries lascivius herbas
1843 appetat aut sese sustollant saltibus haedi
1844 vel si jure gregi cupiant haerere nec usquam

1845 matribus abscedant, et si sine fine modoque
1846 pabula delibent cum tutas vesper adire
1847 compellat caulas, monstrabunt adfore nimbos.
1848 Bubus arator item trahit atrae signa procellae,
1849 lambere si lingua prima hos vestigia forte
1850 viderit aut dextrum prosternere corpus in armum,
1851 vel si prolixis auras mugitibus implent,
1852 pascua linquentes vix vespere. Dat capra moti
1853 rursum signa poli, cum spinis ilicis atrae
1854 multa inhiat. Docet haec eadem sus horrida caeno,
1855 gurgitis illuvie si saepius involvatur.
1856 Martius ipse lupus, villarum proxima oberrans
1857 affectansque locos hominum lectumque laremque
1858 sponte petens, crasso consurgere nubila caelo
1859 praemonet. Id parvi cum stridunt denique mures,
1860 cum gestire solo, cum ludere forte videntur,
1861 portendunt tibimet ; canis id praesentit adultis
1862 tellurem fodiens. Tamen haec, tamen omnia rerum
1863 adfore vel primo nimbos mox sole docebunt,
1864 vel cum curriculis lux ibit coepta secundis,
1865 tertius aut verso cum venerit ortus Olympo.
1866 Non spernenda tibi sunt talia, sed memor uni
1867 adde aliud semper ; si tertia denique signa
1868 proveniant, firmo venturum pectore fare.
1869 Et transactorum sollers componere mensum
1870 signa laborabis : si sic fluxere reperta,
1871 nequaquam trepidare pudor persuadeat ullus.
1872 Astrorum lapsus, astrorum protinus ortus
1873 discute, si casus similis et stella per aethram
1874 prodidit. Exacti jam summa crepuscula mensis
1875 et surgentis item primordia conscius artis
1876 fare sacrae : mensum confinia summa duorum
1877 caeca latent, lucis haec semper semet in octo
1878 inscia lunaris tendunt facis. Ipsa fideli
1879 perquire studio et, siquid tibi forte repertum,
1880 pluribus indiciis sollers fulcire memento.